UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Archicancellariis Sacri Romani Imperii Ac Cancellariis Imperialis Avlae

Mallinckrodt, Bernhard von

Monasteri[i] Westphaliae, 1640

Additamentorvm Capita Aliquot, Sive Liber II totius Operis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11835

Visual Library

ADDITAMENTORVM CAPITA ALIQVOT, SIVE LIBER II totius Operis.

Quæ hactenus in Cancellariorum Germanicorum materia leui brachio raptimq; perstrinxi, vnâ atque alterâ mantissâ locupletare non piguit; eò magis, quòd pleraque sequentium capitum eiusdem subiecti vel pars esse, vel saltè multum cognationis cum illo habere videantur. Æquè certè hæc ac præcedentia ad Germanicæ historiæ elucidationem spectant. In vno tamen contra decorum videbor impegisse, quòd dignatione præcipua, de Sanctis, summis Pontificibus & Cardinalibus, reliquorum accessionem fecerim. Hanc subitarij consilij ataxiam Lectoris humanitas benignè condonabit. Vrceus instituí cœpit, qui currente rotâ ferè in amphoram exiuit.

CAPVT I,

DE SANCTIS AC BEATIS GERMANIÆ CANCELLARIIS.

I. S. Cunibertus Colonienſis.
II. S. Bonifacius Moguntinus.
III. S. Hildebertus Colonienſis.
IV. S. Hildebaldus Colonienſis.
V. B. Rabanus Moguntinus.
VI. S. Bruno Colonienſis.
VII. B. VVilligiſus Moguntinus.

VIII. S. Bervvardus Hildesheimenſis.
IX. S. Heribertus Colonienſis.
X. B. Tagmo, ſiue Dago, Magdeburgenſis.
XI. B. Burchardus VVormatienſis.
XII. B. Bardo Moguntinus.
XIII. S. Clemens, ſiue Svvidigerus, Epiſcopus Bambergenſis & Pontifex Rom.
XIV. S. Anno Colonienſis.
XV. B. Adalbero Herbipolenſis.
XVI. S. Gebehardus Salisburgenſis.
XVII. B. Altmanus Patauienſis.
XVIII. S. Otho Bambergenſis.
XIX. S. Nortbertus Magdeburgenſis.
XX. B. Otto Friſingenſis.
XXI. S. Engelbertus Colonienſis.

ETſi ab initio mihi propoſitum non fuerit, de Germaniæ Cancellarijs ſanctitatis opinione, publico Eccleſiæ aut pio fidelium eius teſtimonio, illuſtribus, ſeparatim agere; quia tamen dum ſuperius opus ſub manu eſt, maior ſeſe obtulit huius generis Sanctorum numerus, quàm ſub initiũ ſuſceptæ lucubrationis ſuſpicari potuerim; piaculum arbitratus ſum, ſi non ad minimum peculiarem recenſionem & nomenclaturam illorum inſtituerem, tum vt communis patria tam illuſtrium ſiderum ſplendore tantò luculentiùs illuſtraretur; tum etiam, vt ſi quis fortè ad exemplum Franciſci Lanouij è Religioſis Ordinis S. Franciſci de Paulâ, quibus Minimorum cognomen eſt, qui an. 1634 Syntagma Hiſtoricum in lucem emiſit, *de octo Sanctis Franciæ Cancellarijs*, idem in noſtris præſtare conſtituat, hac qualicunque ansâ præbitâ, ad illud duplici nomine pijſſimum opus eò magis inuitetur. Nec offendetur quiſpiam, ſi vnus atque alter intercurrat, Faſtis publicis & Martyrologio Romano non adſcriptus: nam & Lanouius eius generis duos recenſet, Landericum Pariſienſem, & Godegrandum Metenſem Epiſcopos; ne quid de Wione, Molano, Rayſio, Ferrario, Chryſoſtomo Henriquez, Hugone Menardo, ſimilibuſque de Sanctorum vitâ Scriptoribus dicam.

Sanctus Cunibertus Epiſcopus Colonienſis.

Ordinem temporis, quem in præcedentibus ſecutus ſum, & hîc tenebo; quo ſeruato, ſe principem in hac ſerie offert Sanctus Cunibertus, Epiſcopus Colonienſis; quem & Germanos ſibi vendicare, indignari Gallos non oportet. Nam & Francicis parentibus eo tempore natus eſt, quo illi Germanicos mores, ſermonem, indolem, exotici & peregrini aëris diuturniori hauſtu

hauſtu necdum exuerant; & in Moſellanâ regione in lucem editus eſt, quæ hodierno adhuc æuo Germanici iuris & ditionis eſt, ac non minùs ipſius Cuniberti illic nati tempore fuit, quàm pluribus antea ſeculis fuerat; & in Vbiorum à Germanis conditâ, ijſdemque olim & hodie per tot ſecula ſubditâ vrbe Præſulem egit; & apud illos Reges Cancellariatûs munus obiuit, qui non tantùm magnæ Ciſrhenanæ Germaniæ parti dominabantur, ſed & ipſimet ſanguine, inſtitutis, loquelâ meri & genuini Germani erant: denique non alibi quàm apud noſtrates Sancti huius viri religioſior cultus & ſacratior memoria eſt. Nec tamen Lanouium propterea reprehenderim; qui Francicis Cancellarijs ſuis meritò hunc inſerüit, ac ex lege propoſiti ſui vitam eius retulit, notiſque illuſtrauit. De ſanctitate huius viri nemo dubitauerit; nam Coloniæ non tantùm magnifica Collegiata Baſilica, in honorem eius, extructa eſt: ſed etiam per totam Agrippinatem prouinciam, ac alibi, ad diem Nouemb. 12, publico Eccleſiaſtico Officio colitur, & Martyrologio Romano, quod præcipuum & maximum apud Catholicos eſt ſanctitatis teſtimonium, nomen eius adſcriptum & inſertum eſt. Ac præterea Surius, apud quem extat incerti Auctoris vita eius, ſed quæ tamen fidem, vt ille ait, & nemo contradixerit, meretur, refert illuſtre miraculum, quod Henrico IV Imp. tempore Seguini Archi-Epiſcopi, ad S. Cuniberti patratum eſt reliquias. Cancellarium hunc fuiſſe non ſolius S. Sigeberti Regis, cuius præterea inſtitutor & nutritius fuit) vt videtur innuere voluiſſe Lanouius in Schediaſmate; ſed etiam patris eius Dagoberti Magni ac Clodouæi Regum, idem Lanouius in ſuis ad vitam S. Cuniberti Notis ſufficienter probat. & extat præterea apud Miræum *lib. 2 Donat. c. 1*, Donatio Regis Dagoberti facta S. Landelino, circa annum 638, vt Aubertus Miræus ſentit; in quâ non Cancellarius tantùm, ſed etiam Archi-Cancellarius nominatur. Omnium igitur primus, quem hactenus Archi-Cancellarij prædicato vſum fuiſſe mihi conſtat, S. Cunibertus eſt. ita autem habet ſubſcriptio, quam indigitaui: Anſo Cancellarius vice Cuniberti Archi Cancellarij recognouit.

S Bonifacius Moguntinus.

Sanctum Bonifacium, ſiue VVarnefridum, quamuis in Angliâ, id eſt, Transmarinâ Saxoniâ natum, iure meritoque dudum Germania ſibi ex aſſe toto vendicauit propriumque fecit; vt ſine ingenti flagitio diſſimulari præteririique nequeat. Pipini Regis hunc Archi-Cancellarium fuiſſe, ſuo loco dictum & oſtenſum eſt. De vitâ autem tanti viri tacere præſtat quàm pauca dicere. Plures eam ſcripſerunt; quos inter Fuldenſis Monachus Othlonus, ni fallor, primas meruiſſe creditur, vtpote Willibaldinæ ſcriptionis exegetes & explanator. Edidit illum *in Tomis ſuis* Surius; ſed more ſuo, ſtylum, vbi

visum fuit, interpolauit, & comptiorem reddidit. Edidit etiam Canisius, sed sincerum & absque mangonio, *in antiquis Lectionibus*, ac post illum Serarius *in Mogunt. rebus suis lib. 3*, additâ capitum distinctione & Notis. Reliqui qui S. Bonifacij vitam scripserunt, hi sunt: S. Willebaldus Episcopus Eichstatensis, quem emisit Wicelius *in Hagiologio* suo, & Canisius *in Lectionibus* citatis: Rothardus B. Rabani discipulus, Hirsaugiensis Cœnobita, versu Heroïco Martyrium S. Bonifacij executus est: Radbodus Episcopus Vltraiectinus, vt Trithemius testatur: & S. Lüdgerus primus Antistes Mimigardeuordensis, qui ab alijs prætermissa attexuit. Ne quid autē de Petro de Natalibus dicam, & Martyrologiorum Scriptoribus, Bedâ, (seu veriùs locupletatore eius) Vsuardo, Adone; &c. de sanctissimi Præsulis huius gestis Baronius omnino videndus est, tomo Annalium nono.

S. Hildebertus. Sanctus Hildebertus secundus Agrippinatium Archi-Episcopus, quem Annales Francici Hildegarium, Chronicon Colonien. Hildegerum vocant, (vtroque nomine dictum fuisse hoc disticho docet Æg. Gelenius:

Hildegari vittas rubefecit purpura sacri
Sanguinis, Hilberti nomen habebat idem,)

à Petro Mersæo Cratepolio Franciæ Cancellarius fuisse scribitur, quo tempore Colonienſis Ecclesiæ regimen illi commissum est. Elogium viri hoc apud eundem legitur, *fuisse multis magnisq; animi dotibus ornatum, & maioribus vitæ meritis suspiciendum.* Hic leuauit ossa S. Svviberti in Cæsaris insulâ, cuius precibus ac meritis à periculoso lapsu restitutus fuerat. Comes Pipino Regi contra Saxones profectus, *pro constantiâ fidei & regni*, vt Mersæus ait, *ab hostibus cæsus fuit*; quod contigit in monte Wedegonis, (Viburg vocant Annales, vernaculè Wedemberg) spatio horarij itineris supra Mindam, an. 753: *Adelm. in Annal.* Inquirit & disputat de anno obitûs Dn. Gelenius in Hierothecâ sua Engelbertinâ *p. 39 & 41.* Relatum defuncti Corpus Coloniam, ad aureos Sanctos in Ecclesia S. Gereonis tumulatum est.

S. Hildebaldus. Fuit post hunc tertius ab illo Archipræsul Hildebaldus, Caroli Magni, vt dixi, Cancellarius, quem similiter sanctitate conspicuum fuisse Cratepolius testatur; neuter tamen illorum hactenus in Colonienſium Fastis locum inuenit. Agit de hoc aliquantò, quàm reliquorum aliquis, prolixiùs in prædictâ Hierothecâ idem Gelenius. Caroli Magni fauore ac studio, niueo candore & sanctâ hominis simplicitate capti, à Clero populoque in Pastorem electus fuit; qui etiam assumptionis eius tempore; an. 781 vel 782, præsens Coloniæ Agrippinæ adfuit. Quam Monasterienſe Chronicon de Wilhelmo Episcopo historiam narrat, petiti à venatore è ceruino corio cinguli, eandem

de

de hoc Hildebaldo referunt. S. Svviberti Canonizationi à Leone Pontifice in Caroli Magni præsentiâ factæ interfuit; Carolo morienti adfuit, & Christiano ritu ad cæleste iter instruxit & muniuit. Quæ superiùs de Ludouico ab Hildebaldo coronato ex alijs retulimus, Dom. Gelenius vero conformia non censet; qui etiam suspicatur, an. 818 obijsse. Sepulturam ad S. Gereonis consecutus est. Refert prædictus Auctor monumenti inscriptionem, quæ vncialibus literis illi incisa hodierno adhuc tempore legatur, quæque illi *Sancti* prænomen adscribat. Sacrorum librorum studiosissimus fuit, eosque magno numero ex illis ipsis, quos Leo Pontifex Imperatori Româ miserat, describi fecit. Basilicam Metropolitanam à fundamentis nouam erexit, eaque stetit vsque ad tempus, quo illa, quæ hodie supereſt, ab Archi-Episcopo Conrado de Hochstaden ædificari cœpta est. Familiam quod attinet, ostendere laborat Gelenius, è Comitibus Thuringiæ ortum fuisse.

B. Rabanus, Abbas Fuldensis primùm, deinde Moguntinus Antistes, Ludouici Germaniæ Regis Archi-Cancellarius fuit, vt vidimus. Fuldam patriam habuit, si Possèuino, Sixto Senensi, Trithemio, Serario, alijsque credimus. Verùm Operum eius Editor Georgius Coluenerius, Doctor Theologus Duacensis, cui sacra historia tantùm debet, accuratè & verè ostendit Moguntiæ natum fuisse. Vitam Rabani Rudolphus, Fuldensis Monachus, discipulus eius scripsit, & longo post tempore Trithemius Abbas libris tribus, quibus quartum de translatione eius adiecit; qui hactenus non comparuerunt, non sine doctorum hominum querelâ. Illustrium Scriptorum hæc de Rabano elogia sunt, vitæque ac doctrinæ testimonia. Bellarm. de Scriptor. Eccles. ait, *fuisse æquè doctum ac pium.* Brovverus in Antiq. Fuldens. *vt cælestis ingenij ornamentis & immensitate scientiarum, sic administrandi ratione, & ea percolendi, quæ præclarè maiores inchoârant, clarum vti sidus inter Abbates emicuisse.* Bruschius & Mersæus: *Vir vitæ innocentiâ & morum sanctimoniâ clarissimus.* Sixtus Senensis: *Vir omnium disciplinarum cognitione clarissimus, cui nullum parem eo seculo Germania, ac ne Italia quidem habuit,* vt Mersæus addit; ante quem idem verissimè enuntiârat Trithemius *de Scriptoribus Eccles. & Viris Illust.* qui verissimè insuper affirmat, *suo æuo in omni Christi Ecclesiâ parem non habuisse.* Baron. tom. 10 Annal. ad an. 856: *Emicuit planè Rabanus, vt fulgentissimum sidus; cuius quæ extant scripta, tanquam lucis radij, excellentiam demonstrant Auctoris, vt & ijsdem illustrata Germania glorietur, suum haud adeò imparem magnis habuisse Doctorem.* Ad sanctitatis probationem pertinet, quòd Arnoldus Wion, *Ligni vitæ lib. 5,* Ordinis sui Martyrologio inserendum moneat; quod etiam præstitum ab Hugone Menardo ad diem 4 Febr. illo enim obijt, vt testatur incertus Annalium Scriptor

B. Rabanus.

à Pithœo editus, ad an. 856. *Omnes enim*, verba sunt Serarij, *non sine sanctitatis opinione cælo receptum autumant*. quâ de re ita Trithemius *in Chron. Hirsaug. sub* an. 856: **Eodem anno Rabanus Archi-Episcopus Moguntinus moritur, & in Monasterio S. Albani non sine sanctitatis opinione sepelitur. Vir in pauperes misericordissimus.** Menardus vocat *Eximium Ecclesiæ Doctorem.* Ossa B. Rabani Albertus Cardinalis Brandeburgicus, Archi-Episcopus Moguntinus & Magdeburgensis, Moguntiâ è S. Albani templo in Saxoniam ad oppidum Halam deuecta, in Basilicâ Castri S. Mauritij solenni Processionis officio collocauit. Ita ex Chron. manusc. Serarius scribit.

S. Bruno Archi-Episcopus Colonienſis.

Etsi B. Brunonis, Saxoniæ Ducis & Archi-Episcopi Colonienſis, sacríque Palatij, vt suo loco ostensum est, Archi-Capellani nomen neque Martyrologio Romano inscriptum sit, nec ipsimet Colonienses Ecclesiastico illum pleno Officio honorent; inserüit tamen vitam eius, à Rotgero Ordinis S. Benedicti Monacho Cœnobij, vt videtur, S Pantaleonis Colonienſis, conscriptam, Tomis Sanctorum suis Laur. Surius: nec non Sanctus vocatur à Guilielmo Eisengrein, *in Catalogo testium veritatis*, & Cratepolio, *in Catalogo Colon. Episc.* ac præterea anniuersariâ festiuitate in diœcesi Tornacensi colitur, denique Coloniæ etiam in Martyrologium receptus est. Libet de hoc adscribere verba Ioannis Molani è Natalibus Sanctorum Belgij ad diem 11 Octobris: *Nos enim*, inquit ille, *hîc Belgica tantùm commemoramus; ad quæ illud etiam spectat, quòd Tornacensis Ecclesia hunc Præsulem in Sanctorum numerum inscripserit. Id enim testatur proprium illius diœcesis Breuiarium, quod S. viri historiam nouem Lectionibus complectitur, XVI, Kal. Aug. Colonienſis verò Ecclesia Canonum hac in parte obseruantior, quia ab Apostolica Sede non est Sanctis adscriptus, natalem eius, seu diem depositionis propriè non celebrat; sed annuè omnium Canonicorum Colonienſium Collegia ad S. Pantaleonem conueniunt, & ad B. viri honorem celebrant sacrificium de Æternâ Sapientiâ. Quia tamen memoriam eius alibi coli sciunt, hinc non tantùm libro obituum, sed & Martyrologio verbis suprà à nobis citatis, apud eos est inscriptus.* Agit de S. Brunone Arnoldus Wion *in Ligno vitæ pag. 907.* Dithmarus *lib. 2 Chron.* aliqua refert de S. Brunone, à Rotgero prætermissa; qui etiam, vt ait Baronius, magnopere illum laudat, eumque interceſſione S. Pauli Apostoli receptum tradit inter Beatos in cælum. Nihil igitur impedimenti video, propter quod, licèt fortè solenni istâ Canonizationis pompâ hactenus nullo suo merito careat, inter Sanctos censeri S. Bruno non debeat; præsertim cùm iam dudum non obijsset tantùm, sed etiam pro Sancto habitus cultusque fuisset ante Alexandri tertij Constitutionem*. Sed audiamus etiam de hoc locum è Dn. Geleníj

** cap. 1 ext. de reliq. & vener. Sanct.*

Hiero-

Hierothecâ Engelbertinâ, de petitâ huius Sancti Viri Canonizatione: *Vnde non immeritò Serenissimus atque Eminentissimus Archi-Episcopus noster & Princeps Elector, Ferdinandus Bauariæ Dux, S.R.E. & I. Archi-Cancellarius, &c. apud Sedem Apostolicam instat, vt B. Bruno, quem Tornacensis diœcesis publico prosequitur cultu, & Officio, vt loquimur, nouem Lectionum honorat, toti Ecclesiæ Dei venerandus solenni renuntiatione proponatur. Impetrabit, vti speramus, id Sua Serenitas, de quo dudum iam laborauit; ne in posterum reprehendamur, quasi ciues minùs pietatis impendamus Diuo Tutelari, quàm exteri Tornacenses.*

B. VVilligisum Antistitem Moguntinum, vti & Successorem eius B. Arnoldum Martyrem, sunt qui in hoc albo proponant. quibus etsi libens subscribam, vitandæ tamen suspicionis ergò, ne nimis ambitiosè hunc Sanctorum patriæ nostræ Germaniæ Cancellariorum constipâsse videar Catalogum, liberum de illis transcribo Lectoribus iudicium, contentus illorum nomenclaturam ad minimum non omisisse. Istis autem fortè Prædecessorem Arnoldi Henricum præterea adiunctum aliqui velint, qui meminerint innocentiæ eius datum per vindictam diuinam (ita certè tunc temporis creditum fuit) de iniustis persecutoribus testimonium. De illis omnibus Serarius, &, quorum ille vestigia legit, videri possunt. *B. VVilligisus & Arnoldus Moguntini.*

S. Bervvardus Hildesiensis Præsul, Othonis tertij, vt suo loco probatum est, Cancellarius, Deo hominibusque, ait Crantzius *lib. 3 Metrop. cap. 49*, commendatus fuit, talemque se præbuit in vitæ sanctimoniâ, vt viuus & mortuus coruscaret miraculis; quocirca in Sanctorum numerum magno est suo merito relatus, & ab Ecclesia inter Diuos Confessores honoratur. Vitam Bervvardi à Tangmaro scriptam Surius refert *tom. 6, ad diem 20. Nouemb.* sed longè plenius Brovverus *in Illustribus Germaniæ Sideribus.* *S. Bervvardus Hildesheimensis.*

S. Heribertus Archi-Episcopus Colonien. Othonis III & Henrici Sancti Cancellarius, vitæ sanctimoniâ & gloriâ miraculorũ clarus Martyrologio Romano inseri meruit ad diem 16 Martij. Miracula eius descripsit Lambertus Leodiensis Monachus S. Laurentij, vti Baronius, Arnoldus Wion, & Ioan. Gerard. Vossius testantur. de Ruperto Tuitiensi vitæ eius Scriptore suprà dixi. Videndus de eodẽ Ægidius Gelenius in Hierothecâ Engelbertinâ; vbi etiam promittit Annales Heribertinos p. m. fratris sui Ioan. Gelenij, SS. Theologiæ Doctoris, Gymnasij Montis quondã Regentis, Presbyteri Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ & in Spiritualibus Generalis Vicarij. A Gregorio VII Sãctorum numero S. Heribertus adscriptus est, vt Gelenius auctor est cit. loco, Bullam Canonizationis referens ex Archiuo Collegiatæ Ecclesiæ SS. Apostolorum. *S. Heribertus Coloniensis.*

B. Tagmo

B. Tagmo Archi-Episcopus Magdeburgensis.

B. Tagmo, siue Dago, Canonicus Ratisbonensis, S. Wolffgangi discipulus, Aulæ Præfectus & Vicarius fuit; cuius commendatione S. Henrico innotuit, eique, vt suo loco dixi, à Cancellis inseruiuit. Exoptauerat sibi hunc vir Sanctus ille in sua Cathedra Successorem; sed ad maiora euectum iri, in spiritu prophetiæ præuidit & prædixit. Habuit autem filij instar carum, eique moriens spiritum suum, vti olim Elisæo Elias, insufflauit, vt Dithmarus Mersb. Tagmonis familiaris & domesticus narrat. Agit is paulò fusiùs de Tagmonis rebus, eumque prolixè satis Raderus *tom. 2 Sanctæ Bauariæ* exscripsit. A B. Willigiso Archi-Episcopus consecratus est, ipseque vicissim consecrauit S. Brunonem Ruthenorum Archi-Episcopum & Apostolum. Mauritianæ Basilicæ, quæ apud Magdeburgenses Metropolitica est, struendæ finem imposuit, ab Othone I inchoatæ. In Francofurtensi Concilio reliquos Episcopos, renitēte multùm Herbipolensi, permouit, vt in erectionem Bambergensis Episcopatûs consentirent. Obijt an. 1011, postquam 8 annos & menses 4 sedisset, & à Cardinale Baronio sanctitate conspicuus, imò sanctissimus vocatur.

S Burchardus VVormatiensis.

B. Burchardum Wormatiensem etsi paulò timidiùs Cancellarijs accensuerim; præterire tamen hoc loco nolui, sed sine aliquo Lectoris præiudicio, cui quid ea de re sentire velit per me liberum est. Sanctitatis sanè eius sat luculenta accepimus documenta. Hugo Menardus illum his verbis Martyrologio Benedictino inserit: **VVormatiæ B. Burchardi eiusdem ciuitatis Episcopi, Decretorum Doctoris Eximij; sunt enim in manibus libri 20 sacrorum Canonum ab hoc collecti; quibus etiam vita eius præfixa est.** Bruschius *in Episcoporum*, & Wilh. Eisengrein *in testium verit. Catalogo*, Sancti nomen eius nomini præscribunt, quod idem facit Bellarm. Cardinalis *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, addito elogio, obijsse an. 1026 *sanctè & religiosè, vt semper vixerat.* Conditor & restaurator fuit diuersorum Monasteriorum & Collegiorum; & inter reliqua Conradi Sapientis Franconiæ Ducis Bruschellense, in Brurenia Spir. diœc. regiunculâ, Palatium, in Collegiatam Ecclesiam commutauit. Videndus de eodem Arnoldus Wion ad diem 20 Aug. nam & ipse Martyrologio sui Ordinis hunc Beatum virum inscripsit. Ioan. Molan. qui Sanctis Belgij, vtpote Lobiensis Cœnobij Professum, annumerat, ita de illo agens finit: **Porrò sicut ex Decreto eruditio eius agnoscitur; sic adiuncta vitæ historia, ad quam Lectorem remittimus, sanctitatem declarat.**

B. Bar-

B. Bardo Moguntinus Archi-Episcopus, ex nobili Wedderauiæ de Oppershouen familiâ, Monachus priùs Fuldensis, & Abbas Hirsfeldensis, tempore Conradi II & Henrici III, ab an. 1031 vsque 1051, Cathedram & annexum eidem Archi-Cancellariatum tenuit. De huius gestis Serarius alijque vetustiores adeundi sunt. Absoluit Moguntini templi summi, quod etiamnunc superest, structuram. *Tantus*, ait Serarius, *in prædicando, concionibusq; ad populum habendis eius animi ardor & eloquentia extitit, vt Chrysostomus vocatus sit: tanta verò vitæ sanctitas, vt in Cælitum numero habitus & cultus sit.* Sanctus enim vocatur non tantùm à *Mariano Scoto*, sed etiam *Abbate Trithemio*, ac ipsomet Annalium Eccles. conditore *Baronio* ad an. obitus 1051; qui *virtutibus clarum*, Trithemius *sanctissimæ conuersationis* fuisse testantur. Sigebertus auctor est, *sanctitatem eius per multam miraculorum gratiam patuisse*; sepulchrum enim eius hoc cælestis gratiæ genere coruscâsse, Serarius in vitâ Bardonis refert. quorum miraculorum illustre specimen & exemplum refertur, in vitâ S. Annonis Colonienſis. Videndus de eodem *Auctor vitæ S. Gothardi* Hildesheim. *Herm. Contractus* & *Lambertus Schaffnab.* Extitit olim vita B. Bardonis, nescio à quo conscripta, vti testis est ex Chron. m. scrip. Moguntino Serarius; verùm illa hactenus nullibi comparet, vt parùm spei supersit aliquando lucem reuisuram esse. *B. Bardo Moguntinus.*

Suidegerus Episcopus Bambergensis, qui ad Pontificatum euectus Clementis II nomẽ adsumpsit, S. Henrici, vt suprà retuli, Cancellarius fuerat. Hunc Catalogo Sanctorum Cancellariorum iure infero, quòd Bambergæ, quò lipsana eius reuecta sunt, Sanctus habeatur, & anniuersario officio honoretur, vti Serarius scribit *in rebus Mogunt.* si rectè memini. *S. Suidegerus, siue Clemens II.*

S. Anno Archi-Episcopus Colonien. iure meritoque Sanctorum Germaniæ Cancellariorum numerum auget; licèt eius tempore, quod constet, Italicus Archi-Cancellariatus necdum Agrippinatium Præsulum proprius, continuus ac perpetuus fuerit. De hoc autem agere differo, donec ad Caput *6 de S. Rom. Ecclesiæ Cancellarijs* deuentum fuerit. *S. Anno Archi-Episcopus Colonienſis.*

Vigesimus in Herbipolensium Præsulum ordine B. Adalbero, quem per coniecturam eidem Henrico IV Imperatori Cancellarium dedi, iure optimo Sanctorum se cœtui immiscet, tum ob vitam inculpatè sanctéque peractam, tum ob accedentem miraculorum virtutem. Vtriusque documentum & testimonium est libellus *de vitâ & miraculis* huius Sancti viri, quem *ex vetustis Codicibus manu scriptis Bibliothecæ Lambacensis* in superiori Austriâ, an. 1619 Augustæ Vindelicorum excudi curauit Ioannes prædicti loci Abbas, quò Lectorem remitto. Raderus hunc Bauariæ suæ Sanctæ sine controuersiâ inseriisset, *B. Adalbero Herbipolenſis.*

issset, nisi hodiernis potiùs quàm antiquis Boïcæ terminis se & opus suum incluſisset. suscepisse autem B. Adalberonem vnà cum ingressu Monasterij, Episcopali curâ dimissâ, Ordinis nigri habitum, Paulus Langius in Chron. auctor est; qui sui, id est, Benedictini instituti Monachum vocat. Fortè tamen etiam iuuenis ante Episcopatum Monasticam vitam amplexus fuerit; qua de re hactenus nil certi affirmare possum, & vitæ Auctor nil explorati affert.

B Gebehardus Archi-Episcopus Salisburgensis

B. Gebehardus *Helfenstenius*, (Raderus de familiâ subdubitat, alioſque secutus, non nisi generatim Equestri apud Sueuos loco ortum tradit) Salisburgensis Archi-Episcopus, quarti Henrici Imp. Cancellarius, *Admontensis* in Carinthiâ, S. Blasio dicati, Monasterij & Abbatiæ Conditor, sanctitatis suæ præcones nactus est eiusdem Cœnobij Religiosum, à quo scriptam Gebehardi vitam cum Adalberonis & Altmanni in publicum dedit prædictus Lambacensis Abbas Ioannes; & Matthæum Raderum *tom. 2 Bauariæ Sanctæ, pag. 213.* Stetit constantissimè pro Gregorio VII Papâ contra Schismaticos excommunicato Regi adhærentes Episcopos; quæ causa fuit, vt eodem quo ipsemet Gregorius fato, in exilium pelleretur nouennale; hactenus tamen mitiore, quòd ille Salerni exul obierit, hic Sedi tandem restitutus fuerit. Sancti titulo honoratur, non tantùm à prædicto vitæ Editore, sed etiam à *Sebastiano Tengnagel* Cæsareo Bibliothecario, (seu potiùs Patre *Gretsero hæreticorum* nostri temporis *malleo*) qui inter vetera monumenta alia *epistolam Gebehardi ad Herman. Metensem Episcopum* publicauit; Radero præterea, quò dixi loco. Sed & ipsemet Baron. *tom. 11 Annal. sub* an. 1062, *num. 118*, Sanctum Episcopum vocat. Henricus Canisius *tom. 2 Antiq. Lect.* S. Eberhardi discipulum refert, qui inter reliquos Salisburgenses Antistites S. etiam Gebhardi vitam scripsit, illic legendam. Promeruit à Sede Apostolica constantis & intrepidæ obedientiæ præmium, titulum & officium Legati Nati; quo omnes deinceps Successores eius, in præsentem vsque diem, perpetuo & hereditario priuilegio gaudent. Corporis exuuiæ in Admontensi ab illo condito Asceterio recondi memorant: vbinũ anniuersariâ festiuitate erga Benefactorem suum sacri illius loci Sodales grati sint, quæ hactenus inspexi monumenta disertè quidem non indicant; vix tamen de eiusmodi pietatis exercitio dubitare velim. Socios & commilitones vti iuuenilium studiorum, ita etiam sanctæ conuersationis, & erga Sedem Apostolicam venerationis, fortunæ denique, virtuosis actionibus vt plurimum aduersantis, consortes habuit B. Alberonem, quem retuli, & B. Altmannum, quem breuibus deinceps referam. Omnes enim hi tres Parisijs, eodem tempore familiarissimè coniuncti, studijs operam dederunt; omnes

mnes ad Epiſcopales Cathedras prouecti ſunt; inſignia Monaſteria à ſingulis ſtructa & dotata ſunt; in ſchiſmate ſacrorum Principi concorditer & conſtanter omnes communicârunt; eaque de causâ, præualentibus aduerſariarum partium viribus, à ſua quique Sede pulſi ſunt. Reliqui enim Germaniæ Præſules, tribus præmiſſis & Hermanno Metenſi ac Meginvvardo Friſingenſi ſolis demptis, Imperatori adhærebant vniuerſi.

B. Altmannus Patauienſis Epiſcopus.

Igitur B. Altmannum, quamuis fortaſſis ad hanc claſſem propriè non pertineat, vix ſuſtineo à dulciſſimo duorum, quos recenſui, amiciſſimorum eius contubernio auellere; ac dubito tamen, an non plerique pronuntiare velint, proprio potiùs quàm familiaritatis iure, illi inter Sanctos Germaniæ Cancellarios locum deberi. Etſi enim mihi propoſitum ſit, non de alijs quàm Imperialibus, vti in ipſo Opere principali, ita hoc eiuſdem acceſſorio tractare; quia tamen Princeps Romanus, Auguſtæ eadem illa Priuilegia tribuit, quæ ipſe habet, *l. 31, ff. de legib.* quis improbet vnum hunc Imperatricis Sacellanum reliquis Cæſareis admiſceri? Sacellanus, inquam, Agnetis Auguſtæ fuit, Henricorum tertij coniugis, quarti genitricis; quod nomen de illo capio, qui non ab epiſtolis minùs quàm ſacris fuerit, pro illorum temporum ſolenni conſuetudine. Natione, ſeu natali ſaltèm loco, Weſtphalus fuit, è Putinenſium Comitum familiâ, occaſione Aulæ Cæſareæ, quam parens cum familiâ ſequebatur, iſtis in oris in lucem editus. ita certè, quæ de patriâ & familiâ Altmanni memorantur, apud Gevvoldum *in Metropoli Hundianâ*, conciliari memini. aliàs enim Putina in Bauariæ partibus fuit, de quâ Auctor vitæ Adelberonis pag. 81: *Putina vrbs inclita & famoſa, quæ quaſi Metropolis & mater ciuitatum verſus Pannoniam ad Auſtralem plagam.* Nam quod Wernerus Roleuinck *lib. 2 de Weſtphal. cap. 8*, Magdeburgum antiquitus Putenam dictum fuiſſe ſcribit, non puto ad rem noſtram facere. Sed & Saliſburgum, præter Iuuauiæ, etiam Petenæ antiquitus nomen habuit, teſtante Leone III Sum. Pont. in Metropolis illic primitus erectæ diplomate; de quâ an præmiſſus è vitâ B. Adalberonis locus intelligendus ſit, non vacat modò pluribus expendere. Dubito tamen, an non duos Altmannos inuicem confundant, Tridentinum & Patauienſem, qui hunc Weſtphalum Putinenſi ſtirpi inſerunt; quam rem impræſentiarum itidem non perquiro. Potuerit autem Altmanni prænomen Putinenſibus Comitibus familiare & gentilitium fuiſſe, ſicuti olim hodieque Egones Fürſtenbergicis, Alvvici Sulzenſibus, Emichones Leiningenſibus, Eitelfrederici Zollerenſibus, Simones Lippienſibus, Ennones & Ezardi Friſiæ Orientalis Comitibus, Sittici Baronibus Altempſijs, alia prænomina alijs familijs frequentantur. Vita Altmanni cum Adelberonis & Gebhardi vno li-

bello concluſa & edita, vt dixi, circumfertur, eandemque legere eſt, præter Hundij Metropolim, apud Tengnagelium *in Monumentis antiquis*, & Raderum *in Bauariâ Sanctâ tom.3,pag.138.* Hunc Baronius *glorioſum meritis Confeſſorem* appellat; Bertholdus, ſiue Bernoldus Conſtantienſis *ſanctæ recordationis Epiſcopum*; Lambertus Schaffnaburgenſis *Virum Apoſtolicæ conuerſationis & magnarum in Chriſto virtutum.* **Fuit pietate, ait Hundius, literis, conſilio, auctoritate magnus; tantæ in Aulâ Cæſareâ gratiæ, vt etiam abſens, Epiſcopus declaratus ſit; in luxuriantem Clerum acerrimus animaduerſor.** Fuerat autem priùs Aquiſgranenſis Eccleſiæ ac ſummi templi Colonien. Canonicus; in illâ etiam Præpoſitus. Comes fuit celeberrimæ illius ſub Henrico IV in terram ſanctam peregrinationis, cuius princeps erat Sigefridus Moguntinus Archi-Epiſcopus. Ex illâ redux, in itinere Patauienſi Eccleſiæ præfectus fuit. Legatione Apoſtolicâ in Germaniâ functus eſt, & præter alia Cœnobia, Patauij aut alibi, vel ſtructa vel reſtaurata, Fundator eſt celebris & ditiſſimi Monaſterij Gotvvicenſis in inferiori Auſtriâ, è regione Cremſæ & Stainæ contiguorum oppidorum ſiti; vbi & lipſana eius, poſtquam anno 1091 aut ſequenti obijſſet, in crypta quieſcunt, miraculiſque olim claruiſſe feruntur, prout Hundius teſtatur, & ex illo refert Raderus. Nunc ad Cæſareos reuertor Cancellarios Sanctos.

S Otho Epiſcopus Bambergenſis.

S. **Othonem** Bertoldi *Andechſenſis* Comitis filium, Henrici IV Cancellarium fuiſſe, ſuo loco non præterij. Hic anno 1102, in octauum Bambergenſis Eccleſiæ Antiſtitem aſſumptus, mittitur cum alijs ad Pontificem Legatus, pro Henrici V coronatione, eaque occaſione Anagniæ à Paſchale II conſecratus eſt. Modeſtiâ ſuâ HVMILIS cognomen promeruit, multorumque Cœnobiorum Fundator aut Inſtaurator habetur. Pomeranos ad fidem conuertit; quorum Apoſtolus ex re dicitur. Obijt an. 1139, ætatis 70; & an. 1189, à Clemente III in Sanctorũ numerũ receptus eſt. In Martyrologio locus ei datur ad diẽ 2 Iulij. Feſtum autẽ eius agitur pridie Kal. Octob. Vita huius Sancti Othonis habetur apud *Surium tom.4*, vbi in fine legitur, eandem libris quatuor ſcriptam eſſe ab *Andreâ Abbate Bambergenſi*, circa annum 1500; quæ illa ipſa eſt quam legimus apud Gretſerum *in Diuis Bambergen.* Raderus etiam *de Sanctis Bauariæ tom. 1, pag. 112*, de S Othone agit; & edidit de eiuſdem geſtis anonymi narrationem Henr. Caniſ. *tom. 2 antiq. lection.* ne quid dicam de *Crantzio*, ac *Bambergenſium & Pomeranorum* Chronicis. Meminit etiam Baron. *in Martyrol.* vitæ eius duobus libris ſcriptæ. Stetini, quæ Pomeraniæ Metropolis eſt, ædem habet (habuit certè) honori ſuo conſecratam. Reliquiæ eius in S. Michaëlis Benedictinorum Eccleſiâ, cuius Cœnobij Reſtaurator fuit, Bamber-

gæ

gæ quieſcunt & coluntur. Cancellarium hunc S. Othonem Henrici IV fuiſſe, præter alibi adductos, etiam prænominatus Andreas Abbas *lib. 1, c. 3,* teſtatur; vbi ſimul **intimum Secretalem**, & **cuſtodem capitis** eius nominat; Secretarium explicat in margine Gretſerus. videtur autem potiùs Secretalis * pro Confeſſario; reliquum pro Camerario intimo, ſiue primo & ſummo, vt hodie vocamus, accipi oportere: quæ enim de cuſtodiâ capitis adijciuntur, Cubiculariorum principi magis, quàm ſcribarum primicerio conuenire videntur. Nam ad militiam hoc loco trahi nequeunt, cùm certum ſit, S. Othonem nunquam arma tractâſſe; adeoque dubius ſum, an Auricularius, quem idem Andreas vocat, potiùs pro admiſſionum magiſtro, Referendario, Auditore, ſupremo Camerario; quàm pro Confeſſario, vt hodie vocamus, accipi debeat.

* *vide quæ ſuprà de Secretarij veteri ſignificatu ſcripſi. pag. 115.*

S. Nortbertus Archi-Epiſcopus Magdeburgenſis, qui Lotharij Imp. ſi Præmonſtratenſi Bibliothecæ, & in illâ comprehenſæ Nortbertinæ vitæ nouitio Auctori, ſeu Interpolatori credimus, Cancellarius fuit. Hic à quibuſdam Colonienſis, ab alijs Lotharingus, denique à reliquis Xantenſis patriâ fuiſſe dicitur; qui omnes verè ſcribunt & conciliari poſſunt. Eſt enim Xantenſe in agro Cliuenſi oppidum, è quo ſidus hoc effulſit, Colonienſis diœceſis, veteriſque Lotharingiæ, multò latiùs olim quàm nuper & hodie extenſæ, terminis continetur. Huius vitam plures ſcripsêre, quorum antiquiſſimus eſt Hugo, primus aſſecla & diſcipulus eius, Succeſſorque proximus in Præmonſtratenſi Prælaturâ; è quo pleraque deſumpta ſunt, quæ *in Biblioth. Præmonſt.* de S. Nortberto *lib. 2* referuntur: nam & ex alijs veteribus & recentioribus non pauca admiſcentur. Diuerſa eſt, quam Surius *tom. 3* exhibet. Nuperrimè anno 1628 edidit eiuſdem S. Norberti vitam *Martinus Mertz*, Prior Cœnobij Rothenſis in Sueuiâ, ſcriptam occaſione tranſlationis reliquiarum S. Nortberti, in Bohemiam factæ. Ac memorabile ſanè eſt, nec caſui adſcribi debet, Magdeburgum inclytam quondam Germaniæ vrbem non priùs à Cæſareanis exercitibus, olim Caroli V, *poſtmodum noſtro tempore Ferdin. II * Imperio expugnari potuiſſe, quàm huius tutelaris Diui reliquiæ, vt vocamus, è S. Mariæ Præmonſtratenſium templo ad eiuſdem Ordinis ſacram Ædem Pragenſem *montis Sion*, vulgò **Strahoff** dictam, transferrentur.

S. Nortbertus Magdeburgenſis Epiſcopus.

* *Mauritio Saxone obſidente.*

* *Ducis Fridlandici ductu.*

Beatum Othonem Friſingenſem, Friderici I, ſui è fratre vterino nepotis, ac priùs Conradi III fratris ſui, Cancellarium fuiſſe, ſuis locis non ſubticui. De hoc tamen, Fridericum quod attinet, hactenus alijs non ſum inſtructus teſtimonijs, quàm Antonij Albizij nobilis Florentini *in Stemmatibus.* ſic enim notat *in Arbore veterum Marchionum & Ducum Auſtriæ*: Otto Epi.

Beatus Otho Friſingenſis.

scopus Frisingensis Cancellarius Friderici I Imp. Obijt anno 1158. Reliquos qui Cõrado Cancellarium adsociant suprà recensui. Filius hic fuit S. Leopoldi Austriæ Marchionis, ex Agnete filiâ Henrici IV Imp. susceptus, scriptisque & vitæ sanctimoniâ per omnem Christianitatem deprædicatissimus est. Hunc Matthæus Raderus generali Catalogo trium Tomorum de Sanctis Bauariæ inserüit; vitam tamen eius quarto demum Tomo, qui Bauaria Pia inscribitur, exhibet; vbi in ingressu se illius nomen in nullis Fastis, ac ne ipsius quidem Frisingensis Ecclesiæ *legere scribit. Retulit tamen illud *Hugo Menard. in Martyrolog. Ord. S. Benedicti*, ad diem 23 Septemb. cum hoc in Obseruationibus Elogio: *Beatus Otho fuit S. Leopoldi Marchionis filius. Parisios missus, sacris & humanioribus literis apprimè eruditus, Ordinem Cistertiensium professus est in Cœnobio Morimundi; inde ad Ecclesiam Frisingensem postulatus, eam optimè rexit. Cum Conrado Sueuo Imp. eius nominis secundo, in Græciam, & Syriam profectus, omnibus bellis interfuit quæ cum Turcis & Saracenis gesta sunt. Consilijs & armis rem Christianam iuuit. Hierosolymam & sacrum Christi sepulchrum adijt. in Iordane lauari meruit. Chronicum ab ortu mundi vsque ad sua tempora deduxit. Tandem dimisso Episcopatu Morimundum redijt, & inter manus Fratrum beatam animam exhalauit* an. 1158, *in procrastino S. Mauritij, miraculis post mortem clarus.* Videndi de hoc etiam Hundius & Gevvoldus *in Salisb. Metrop.* sed in primis *Raderus* dicto loco, & *Radeuicus* Frisingensis, ac *Vitus Arenbeck*, quorum vtrumque ille prolixè refert. *Iacobus Manlius & Ioan. Stabius*, eodem Radero teste, hunc inter Sanctos Austriæ tutelares referunt. Cardinalis quoque Baronius *Sanctum* in suis Annalibus appellare non dubitauit. *Beatũ* prædicauit modò relatus Vitus Arenbeckius: *Pium Virum* Scriptores melioris notæ omnes. hæc Raderus; qui posteà pergit: *facilè eum inter Germaniæ Præsules vel principem vel inter principes doctorum virorum habitum esse.* Obijt autem non 1158, vt Hund. & Menard. *volunt, sed sequenti anno. *Magni* cognomen illi passim dari ex Salisb. Metrop. cognoscitur: nec tacet illud prædictus Sanctorum Boïcorum Scriptor. Agit de eodem B. Othone Chrysostomus Henriquez *in Fasc. Sanctorũm Ord. Cisterc. lib. 2, distinct. 10, c. 7, & in Menologio eiusd. Ord. ad diem 7. Septemb.* quem posteriorem locum in laudem incomparabilis viri huc transcribo: *Morimũdi in Galliâ, depositio B. Othonis, admirandæ sanctitatis Viri, qui nobilitatem generis & seculi delicias contemnens, ibidem habitum religionis assumpsit; & postmodum in Abbatem illius loci electus, veræ humilitatis & perfectionis Monasticæ se exemplar exhibuit. vnde in Episcopum Frisingensem assumptus, doctrinâ, pietate, morum grauitate totam Europam mirabiliter illustrauit, & post multa sanctitatis opera in proprio Monasterio feliciter vitam finiuit.* Ad sepulchrum eius miracula patrata esse scribit in *Hundianæ Metropolis additionibus* Gevvoldus.

*Huius rei hanc caussam suspicari possumus, quòd resignatione factâ, non illic, sed alibi mortuus fuerit.

*adde etiam Albiz.

Tan-

Tandem hoc sacrum agmen claudat, vnius temporis, non etiam meritorum & sanctitatis ordine postremus, S. Engelbertus Colonienſis Archi-Episcopus, S. Romani Imperij per Italiam Archi-Cancellarius, ac Friderici II tempore Imperij Germanici Administrator, Moderatorque iuuentutis Henrici Regis, eiusdem Friderici Filij. Agrippinas enim Præsul S. Cunibertus, vti felicissimis auspicijs huius Aulæ Sanctæ ducatum tenet; ita eiusdem tergiductor, non minor Vbiorum Metropoleos, simulque, quæ maximam partem illi subiecta est, fulgidumque hoc sidus protulit, Westphaliæ honor & gloria est. Huius vitam à *Cæsario Heisterbachensi* libris tribus luculenter descriptam *Surius tom. 6* inserüit, & eandem occasione leuatorum ossium eius anno 1633, doctissimis Commentarijs auctam & illustratam denuo emisit Ægidius Gelenius SS. Theologiæ Licentiatus & ad D. Andreæ apud Agrippinates Canonicus, adiunctâ an. seq. Hierothecâ Engelbertinâ. Origo ipsi fuit è stirpe Comitum de Monte & Altena, ac pro tuendis Essendiensis Ecclesiæ Iuribus à Friderico Comite de Isenberg agnato suo, vtpote patruelis filio, Ecclesiasticæ libertatis, sub Aduocatiæ larua, oppressore, post expletos regiminis annos decem, prope Svvelmam Markensis ditionis pagum, loco Geuelsberg dicto, nefariè trucidatus, Sanctorum Martyrum Catalogo adscribi meruit. Ista canonizatio sub Honorio III, sub eodem quo passus fuerat, Max. Pont. facta est anno 1226, per Conradum Episcopum & Cardinalem Portuensem, Sedis Apostolicæ à Latere Legatum. Memoria eius in Romano Martyrologio & Colonienſi Calendario incidit in septimum Nouembris diem.

S. Engelbertus Colonienſis Archi-Episcopus

Saluete, religioso pietatis cultu à me salutatæ & imploratæ, Sanctæ Deoque cohabitantes animæ: ac Germaniam nostram, cuius salutem, dignitatem, gloriamque, dum vixistis & viguistis, salutaribus consilijs & glorioſis gestis vestris magnificare, sartamque ac tectam conseruare vnicè studuistis; nunc votis precibusque vestris, laborantem dudum intestinis dissidijs & externis inuasionibus, iamque sub continuis duûm supra viginti annorum bellicarum calamitatum pressuris fatiscentem, ægrèque spiritum trahentem; apud communem Dominum, Romani conseruatorem Imperij, Deum Opt. Max. commendatam facite, incolumemque præstate.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM,
quo continetur
CATALOGVS PONTIFICVM MAXIMORVM & S. R. ECCLESIÆ CARDINALIVM è GERMANIS.

CVM Germanicorum Cardinalium synopsin dare constitutum haberem, visum fuit eiusdem originis & patriæ Maximos Pontifices præmittere, quamuis vulgò satis obuios, ac alijs, Cratepolio in primis, iam olim separatim recensitos. Nec tamen sperârim, in superuacuo me laboraturum, dum illos refero; eò quòd ab alijs non nemo prætereatur, aliqui etiam huc non pertinentes admisceantur. Talium autem meritorum tantarumque virtutum fuerunt ad vnum omnes, vt duplici nomine de illis Germania sibi gratulari possit, non gentis minùs, quàm ipsorum Principum intuitu; à quibus plerique, accedente tamen cleri populique assensu & electione, Apostolico throno impositi fuerunt. Magna enim Teutonici soli gloria est, tam insignes genuisse & erudijsse summis honoribus dignè obeundis Heroas; nec minor ipsorum Cæsarum Teutonicorum laus est, ad cleri populique Romani preces & instantiam, non alios quàm dignissimos Ecclesiastico vniuersali regimini capessendo legisse Præsules. Nam ne illi quidem, qui Græcorum, auctore Tacito, instar, *sua tantùm mirantur*, aliquid in illis desiderare & reprehendere potuerunt aliud, quàm quòd trans Alpes nati essent. Verùm ipsos videamus.

Pontifices Maximi Teutonici.

1. *Stephanus VIII.*

PRimus Germanorum, qui in Petri Cathedrâ sederit, *Stephanus* octauus est, quem Baronius & Panuinius nonum dici oportere scribunt, electus à Romanorum clero & populo, posthabitis Cardinalibus, an. 939, operâ Othonis Regis, eius nominis I. Is à factiosis, Alberico, qui tunc principatum in Vrbe obtinebat, adhærentibus malè habitus est, vsque adeò, vt in seditione & tumultu, in facie tã grauiter læsus fuerit, vt diù publico abstinuerit: *licèt reuera,*

rà, vt Baron.ait tom.10, an.940, *non dedecori, sed ornamento sint quæq; stigmata, propter iustitiam à Sathanæ ministris illata, & eò pulchriora, quò magis perspicua spectantibus fiunt.* Memorabilia sunt, quæ ibidem de hoc Pontifice eiusque iniuriâ sequuntur: *Quòd verò Germanus,* ita ille pergit, *natione, electus Pontifex adeò malè habitus à Romanis fuerit; Ottonis Regis excitauit animum in eos vlciscendi, agendiq; vt eiusmodi vis tyrannica in promotione Pontificum auferretur. quamobrem factum est, vt immiscendi se ipse in electione Romanorum Pontificum, occasionem aliquam cœperit cogitare.* Hic misso Damaso Legato Ludouicum Franciæ Regem in regno stabiliuit, anathematis comminatione rebellibus Principibus ad obedientiam eius compulsis. Dispari euentu inter Hugonem & Albericum in Italiâ concordiam tentauit. Obijt an. Christi 943, Pontificatûs III, mense 5 inchoante. Platina scribit ita à Romanis seditionibus vexatum fuisse, vt nil memoriâ dignum ab illo geri potuerit. Cratepolius hoc Stephanum elogio ornat, *omni genere literarum ac morum excultum fuisse, mirabileq; eius virtutes effecisse, vt omnium Principum ac Regum facilè sit assecutus fauorem.* Consentit cum illo Papyrius Massonus, qui scribit: *Atque hic Pontifex, in Germania natus, & omni literarum genere excultus dicitur, pacis studia bellis præferens.* Commendat autem Cratepolius prædictus ab *insigni mansuetudine, & quòd per varios dignitatum gradus ad summum ascenderit fastigium.* Atque hactenus de Papâ Stephano. Dubitaui autem, an & Prædecessor eius Leo VII in hoc Albo proponendus esset: quem licèt Platina & Onuphrius Romanum dicant patriâ fuisse, Sanctus tamen Thomas de Aquino* *lib.3 de regim. Princip. c. 19,* genere Alemannum facit. Ac loqui illum de Germanicâ Origine eius, etiam inde probatur, quòd paulò pòst Gregorium V memorans scribit, illum similiter Teutonicum fuisse. Paulò timidiùs autem isti testimonio fidendum duxi, quòd addat Othonem I à prædicto Leone in Imperatorem fuisse coronatum; quod alij omnes Ioanni XII adscribunt. In eiusmodi narrationibus etiam magni & Sancti Auctores alicubi falluntur.

* *Sunt tamen, qui libros hos pseudepigraphos & supposititios arbitrentur.*

Gregorius quintus, *Bruno* antè dictus, natione Saxo (Onuphrius ex oppido Wangiâ prodijsse scribit) Othonis III Cæsaris, cuius operâ anno 996 Pontifici Ioanni 17 successit, cognatione proximus fuit. Dithmarus Mersburg. nepotem eius vocat, Platina affinem; neuter propriè. Fuit enim sobrinus eius: quâ in re Franc. Guillimanus & Aubertus Miræus, cum Wippone in vitâ Conradi Salici Imper. & Scriptore Genealogiæ S. Arnulphi consentiũt, licèt in personis, non in ipsis gradibus, hi nonnihil discrepent. hinc in Epitaphio, *Francorum regia Proles* vocatur: Germanis enim per aliquot secula, quod plurimis veterum Scriptorum locis probari potest, Francorum nomen adhæ-

2. *Gregorius V.*

sit. Idem Epitaphium patrem Gregorij *Othonem*, genitricem *Iudith* vocat. Hic coronauit Othonem III, vnáque cum illo Constitutionem feciſſe traditur de Imperatoris Romani electione; de quâ multi plurima ſcripſerunt, repetuntque inde vulgò Electorum Originem. de quâ re Onuphrius, Baronius, Bellarminus, alijque videndi. In ſequentibus de iſto negotio ipſemet etiam aliqua libare conſtitui. Iuuenis Wormatiæ, quæ Vangionum vrbs eſt, ſtuduiſſe videtur; ita enim *VVangianus*, cuius idem Epitaphium meminit, interpretor: quod malè intellectum, Onuphrio præbuit errandi occaſionem in deſignandâ Gregorij patriâ. Ioan. Letznerus auctor Chron. Corbeienſis, in Saxonicâ Corbeiâ Gregorium educatum & inſtitutum fuiſſe ſcribit; aitque idem Auctor, fuiſſe ante Pontificatum, Verdenſem in Saxoniâ Epiſcopum. Fuit ſanè iſto ſeculo illic Brunonis nomine Epiſcopus, in ordine ſextus-decimus, vt Crantzius ait *lib. 3 Metrop. cap. 36*; quem Bruſchius etiam in Catalogo hunc ipſum fuiſſe diſertè affirmat, licèt apud Crantzium non admodum quadrent tempora: niſi quod is de Othone I ſcribit, qui Erponem Brunonis Succeſſorem Sede ſuâ depulerit, nepoti eius, tertio nimirum Othoni adſcribi debeat. Theodoricus de Niem Verdenſis, idemque poſtea Cameracenſis Epiſcopus, *lib. 2 hiſtor. ſchiſm. cap. 34*, auctor eſt, hunc vocatum fuiſſe MINOREM Gregorium, (tanquam ſolo Gregorio Magno inferiorem) propter largas eleemoſynas & alia bona opera quibus claruit. Fuiſſe autem magnum Eleemoſynarium etiam ex citato Epitaphio conſtat, cuius pars eſt ſequens diſtichon:

Pauperibus diues per ſingula ſabbata veſtes
Diuiſit numero cautus Apoſtolico.

Multa & hic à Romanis, exteri hominis dignitatem indignantibus, paſſus, ac tandem in exilium extruſus eſt, quod partim in Hetruriâ, partim Germaniâ tolerauit; reductus & reſtitutus deinde ab Othone, qui illatas ſummo Præſuli iniurias ſeuerè vltus eſt. Sedit Gregorius annos duos, menſes octo. Mortuus & ſepultus Romæ anno 999. Cratepolius *omnibus virtutibus* eum *ornatum* fuiſſe ait.

Syluester II. Gregorio Syluestrem II ſubijcit Cratepolius, qui è Belgio oriundum credidit: verùm illi inter Germanos locus non debetur; ad Gallos ſuos ſeſſum mittendus. Aquitanum ortu fuiſſe Onuphrius ſcribit, & ante illum, referente Papyrio Maſſono, Ademarus Lemouicenſis. Hunc licèt magiæ abſoluat, Sede tamen Romanâ indigniſſimum Baronius iudicat. Idem, patriam quod attinet, de Innocentio V, & Calixto II Burgundis dictum eſto: nam & hos errore ſimili Merſæus inter Teutonicos Papas recenſet. Nec enim in Comitatu Burgundico, quod ſciam, vllibi Germanicè loquuntur; ac præterea

Innoc. V.
Caliztus II.

terea an ex Imperiali, vel regiâ Burgundia natales suos illi repetant, hactenus mihi non satis constat.

Clemens II, qui voluntate Imp. interueniente, tribus schismaticis Apostolicæ Sedis inuasoribus Synodali auctoritate depositis, Successor datus est in Sutrino Concilio, Saxo patriâ æquè ac Gregorius fuit, *ex illustri natus familiâ; & bonis literis ac disciplinis optimè institutus*, in eum euasit virum, qui *eximiâ doctrinâ, sapientiâ & virtute* præditus fuisse celebratur. E S. Henrici Cancellario ad Bambergensem Cathedram, eius loci secundus Præsul peruenit, donec ille, quem dixi, Ecclesiastici honoris summus apex accederet. Creatio eius secundum Baronianam, id est, veriorem computationem, in annum Christi 1046 incidit, sequenti obijt. nec enim, licèt dignissimus longiori regimine, nisi nouem sedit menses. Huius laus & perpetua gloria est, vetitæ & exturbatæ Simoniacæ labis, quæ nimiùm tunc temporis, *arte*, vt Baronius ait, *Schismaticorum & intrusorum Pontificum*, eiusmodi sorde Romanam Ecclesiam inquinantium, præualuerat; cuius vestigijs deinde præclarè institit S. Leo nonus, popularis & Successor eius. Recedente autem Henrico III, cui Nigri cognomen fuit, Clemens similiter in comitatu eius, Româ in patrium solum, vt ait Ostiensis Leo, abijt. *Quòd enim*, verba sunt Baronij, *depositio Gregorio, & subrogato Germano homine in Romanum Pontificem, Romanos non mediocriter offendisset, timens ei quem elegisset Clementi, ipsum secum in Germaniam duxit.* Hac igitur occasione, vt idem Leo testatur, vltra montes, id est, in Germaniâ defunctus est; quo in loco, hactenus non inueni. Verùm nec illic sine veneni suspicione mortuum esse scribit, nescio quo auctore, Cratepolius. Relatus Bambergam inter Cælites multis seculis in præsens vsque illic colitur. Testis eius rei Nicol Serarius lib. 5 rer. Mogunt. pag. 740. Dies anniuersariæ solennitatis eius est 9 Octobris, S. Dionysio sacra. 3. *Clemens II.*

Huic Successor ab Imperatore, ex Concilij, vt Hundius in Metropoli ait, decreto, datus est post aliquot mensium Sedis vacantiam Damasus II, qui priùs Brixinensium in Alpibus Tyrolensibus Episcopus, & Aquileiensium Patriarcha fuerat: quod posterius tamen Baronius, eumque secutus in Pontificum Catalogo Theodorus Petreius Carthusianus, non admodum probare videntur. Massonus perperam & erroneè Treuirorum Archi-Episcopum vocat. Bauarum patriâ fuisse Platina scribit, qui & cognomen addit, Bagniarij; cui de vtroque crederem, si constaret quo auctore ista traderet. quæ enim deinceps de eodem, non sine manifestis vestigijs vernaculi liuoris erga Germanum hominem, attexit, fabulosissima sunt, vt statim dicam. De patriâ tamen & progenie eius hactenus certiora non percepi. igitur *ex Germaniâ,* 4. *Damasus II.*

manià, vt Leonis Ostiensis verba habent, *Damasus transmissus, Romæ suffragijs omnium electus & comprobatus fuit, consecratusq;*, Baronio ad annum 1048 testante; cuius grauissimi & iudiciosissimi Ecclesiasticarum rerum Scriptoris auctoritas, vtique facienda pluris est intelligenti Lectori, maximè accedente Hermanni Contracti illius temporis historici consensu, qui *honorificè susceptum esse* scribit, quàm quæ Platina sine teste, sine auctore obtrudit. cuius verba appono: *Damasus II, Pontificatum per vim occupat, nullo Cleri populiq; consensu. adeò enim inoleuerat hic mos, vt iam cuiq; ambitioso liceret Petri Sedem inuadere. Sed obstitit DEVS iustus vindex, &c. Censent nonnulli hunc inter Pontifices nequaquam numerandum esse; cùm non rectè Pontificatum adeptus sit, miranturq; cur Romani, tantâ rei indignitate moti, contra iusiurandum Henrici iussu habitum, abdicare se magistratu hominem statim non coëgerint.* Ita ille contra omnium reliquorum tradita; vt mirari possimus, quinam fuerint illi nonnulli, quorum meminit. Verùm tot ac tanti sunt illius hominis in historiâ Pontificum errores, vt in Teutonico homine falsitatem istam commissam fuisse magnopere mirari nemo possit. Hundius *in Metrop.* hunc Damasum, *virum sapientem ac pietatis studiosum* vocat: cuius rei locupletiora sine dubio documenta haberemus, si diutiùs in Pontificatu superuixisset. Nam Prænestè post dies 23 quàm in Vrbem venisset obijt, & quidem è veneni propinatione, dolo Stephani ab Henrico depositi, tertiùm Apostolicæ Cathedræ inuasoris, si Bennoni Cardinali credimus; cui tamen, vt in plerisque alijs fabuloso & mendaci, Baronius fidem adhibendam negat. Sepultus est in æde S. Laurentij suburbanâ, duorum præcipui nominis in Catholicâ Ecclesiâ Leuitarum cineribus venerabili. Memoria & relatu dignum est, quod de hoc & decessore eius ceteriisque eiusdem temporis Germanis Romanæ Cathedræ Episcopis scribit Papyrius Massonus, ideoque & hìc legi meretur: *Quòd si curiosi scire cupiunt, qui Pontifices vsum insignium argumentorum in Italiam tulerunt, sciant à Clemente & Damaso id factum; postea à Leone, cuius insigne erat leo niger in scuto octo lilijs exornato. Leonem secutus est Victor, deinde Stephanus; qui cùm & ipsi propria insignia in Italiam detulissent, hunc morem Successoribus reliquêre. Veteres namque Pontifices eiusmodi rebus caruêre.*

5. *Leo nonus.*

Leo nonus inter Germanicos Pontifices magno suo iure primas tenet, vtpote qui virtutum & miraculorum laude insignis, Sanctorum Catalogo, solenni ritu & publico Catholicæ Ecclesiæ cerimoniarum apparatu adscribi, ac Martyrologio Romano ad diem 19 April. inseri meruerit. Hic proximus in Damasi locum anno 1049, ab Henrico Imp. III delectus; ad quem ea de causâ Romani legationem miserant. Fuit priùs Tullensis in Leucis Episcopus; quam Sedem etiam in ipso Pontificatu quoad vixit non dimisit: quod exemplum

emplum Successor eius Victor imitatus est. Mersæus ante Tullensem Cathedram, etiam Argentinensem tenuisse scribit; sed erroneè. Arnoldus Wion *lib.2, cap.1*, Ord. S. Benedicti Monachum facit, Tullensis Cœnobij, è Cluniacensi Congregatione. Oriundus fuit ex nobili Francorum prosapiâ, vt ait Otho Frisingensis, Comitum nimirum Dachspurgensium, siue Egisheimiorum in Alsatiâ familiâ, ac ipsummet Imperatorem cognatione contingens. ita enim interpretor Scriptoris Rhemensis, sub hoc ipso Leone habiti, Concilij verba, quando ait, fuisse illi *sanguinis affinitate proximum*. Huc etiam Leo Ostiensis respexit, quando scripsit *lib.2, cap. 82*, regiâ stirpe progenitum fuisse. Longum sit præclarissima huius Pontificis gesta referre velle; quare breui eius Elogio contenti erimus. Auctor modò dictus scribit, *ætatis maturitate, morumq; ac scientiæ claritudine conspicuum fuisse:* Raderus tom.1 Bau. Sanctiæ, *virum in paucis eruditum, iurisq; omnis humani & diuini prudentissimum* dicit: Platina, *virum bonum* vocat *& simplicis ingenij*: Mersæus, *sanctimoniâ & innocentiâ celebrem*. Sed & Baronium audiamus: *Vir planè erat meritis insignis, & homo licèt, interiùs Angelicam vitam ducens, consortio Angelorum dignus est habitus, quorum cultum propensiori studio frequentaret*. Idem fatetur hunc *maximo Catholicæ Ecclesiæ bono Pontificem creatum fuisse*. Leo Ostiens. *lib.2, cap.88*, vbi sancto fine Leonem quieuisse, & ad tumulum eius plurima tunc temporis signa Christum effecisse scribit; sequentem de illo historiam narrat: *Hic Sanctus Pontifex inter innumera suæ bonitatis insignia, quàm diù Romæ remoratus est, omni tempore tribus per hebdomadam diebus, à Lateranensi Ecclesiâ vsque ad S. Petrum, priuato habitu nudisq; pedibus, cum duobus aut tribus Clericis, noctu psallendo & orando pergebat*. Res gestas eius è Baronio alijsque promere obuium est. Sedit annis 5, mensibus 2; quibus Romæ, Rhemis, & Moguntiæ Synodos habuit, & aliquoties ad Imperatorem iter in Germaniam instituit, scripsitque itinerarium eius Anselmus Monachus Rhemensis, teste Sigeberto *de Viris Illustr. cap.153*. De miraculis in vitâ & post mortem ab eo patratis, Desiderius Abbas Cassinensis (huic postea Pontifici Victoris III nomen fuit) *in libris Dialog.* & qui illum refert Baronius Cardinalis, Raderus *tom.1 Bau. Sanct. fol.151*, alijque videndi sunt. Præterea Leonis vitam resque præclarè ab illo gestas (inter illas refertur iure optimo celebris illa ad Græcos legatio, de quâ prolixè Baronius, & elegantissimâ breuitate Sigebertus *in Chron. ad an.1054*,) scripsit Anonymus aliquis, quem in monte S. Gerardi extare ait Ioan. *Molan. in addition. ad Vsuardi Martyrolog.* & ex illo refert Baron. *in Notis ad Martyr. Roman. die 19 April.* qui S. Leonis natalis est. illo enim ad Angelorum beatorum consortium abijt, anno 1054. Namque Romam reuersus, ex infelici expeditione contra Nortmannos in Apuliam, vbi ignauiâ Italorum, fugâ se conflictui subtrahentium, quamuis fortissimè di-

micantibus Germanis & in vestigio concidentibus, amisso exercitu in hostium potestatem venit; indeque, quamuis libertati restitutus, per mœrorem animi contracto morbo viuendi finem fecit, sepultus ad S.Petrum. Alia, ni fallor, à præmemoratâ huius sancti viri vitâ, Auctorem præferens Wibertum Archidiaconum, edita est Paris. anno 1615. Placet etiam Papyrij Massoni Elogium adscribere: *Non impar Leoni magno ad Episcopatum Vrbis Leo IX ascendit, &c. Henricus itaq; honoraturus Apostolicam Sedem, & ingenti beneficio Italiam, imò orbem affecturus, eum Romam ire iussit. quò cùm venisset, cognitâ sanctimoniâ & integritate vitæ eius, cœpit clero ac populo acceptus esse : quinquennio autem tantùm rem Ecclesiasticam administrauit; sed ita, vt immortalem ex rebus gestis laudem atque gloriam sit assecutus: idq; epistolæ eius satis ostendunt, plenæ grauitatis, plenæ eruditionis ac scientiæ rerum diuinarum.*

6. *Victor II.* Vltimus Pontificum, quos Henricus Niger Imp. Romanæ Ecclesiæ, imò orbi vniuerso dedit, Victor II fuit. vnico enim in omni Ecclesiasticâ antiquitate exemplo, hæc singularis eius Principis felicitas fuit, quatuor nominâsse, ac Imperiali auctoritate (ita enim clerus populusque Romanus petebant, ac vel consensu suo nominationi Cæsareæ applaudebant, vel nominatim sibi aliquem dari, vti hunc ipsum, postulabant) euexisse Catholicæ Ecclesiæ Episcopos, eosque viros primarios & laudatissimos ad vnum omnes, nec alios quàm Teutonico sanguine cretos. quæ res, accedentibus etiam alijs, facit vt credam, Germanici Imperij fastigium vix alio quàm hoc tempore altiùs euectũ fuisse. Nam nec Victor Præcessoribus suis in aliquo concedit, præter reliqua décora sua vitæ sanctitate promeritus, tum ab alijs honorificis præconijs celebrari, tum à Radero Bauariæ Sanctis inseri. Ortum trahebat Gebhardus, (hoc prænomen eius necdum Pontificis fuit) vt communior & verior opinio est, è Comitibus Calbensibus in Sueuiâ: nec immeritò Raderus, licèt Leo Ostiensis etiam gente Noricum dicat, illorum opinionem reijcit, qui ex Hirsbergensium in Bauariâ Comitum stirpe illum repetebant; hinc enim eius nominis secundus Aistetensis Ecclesiæ Antistes progenitus legitur; quem suspicatur laudatus modò Auctor ab Hundio cum hoc priori confundi. Duodecimum & ampliùs iam annum Wilibaldinæ Ecclesiæ præsidebat, quando Hildebrandus Cardinalis Romanorum Legatus nuntium tulit de Leonis obitu. qui cùm nominatim Gebehardum in Pontificem expeteret, indicto eius rei causâ Moguntiæ Concilio, de communi Ecclesiæ Germanicæ procerum consilio, petitioni & desiderio eius Imperator acquieuit, quamuis inuitus & contristatus. Ægrè enim à se patiebatur auelli virum fidei & prudentiæ præclarum, & cuius consilijs res Germana eo tempore potissimùm nitebatur. De hoc ita Bruschius *in Catal: Iuuenis quidē ætate,* (intellige, quo tempore in Episcopum

pum Aistadij electus) *sed doctrinâ, sapientiâ & morum grauitate prudentissimis senibus comparandus.* Leo Ostiensis: *Vir singulari prudētiâ, gerendarum rerum peritissimus.* Raderus: *Henricum Imp. ab eius spiritu dum viueret pependisse,* refert: Idem vocat *bonum Episcopum, optimum Pontificem.* Acer & seuerus morum Cleri censor & reformator fuit; ac non ipsemet modò tam salutari curæ promouendæ Florentiæ in Imperatoris præsentiâ (ipsemet enim Romam honoris causâ deduxit) Synodum celebrauit; sed præterea etiam Tholosæ, Simoniacis coërcendis, per Galliæ Archi-Episcopos aliquos aliam haberi curauit. Euocatus ab Henrico III in Germaniam, eidem morienti adfuit, filioque eius quinquenni, sibi specialiter commendato, indicto habitoque Coloniæ conuentu, Imperium stabiliuit. Memorabile est, quâ ratione insidias Subdiaconi, qui ipsi venenum in Calice diuinis operanti propinauerat, miraculosè euaserit. In Italiam reuersus, & Româ in Tusciam profectus, illic moritur an. 1057; sepultus Florentiæ, vti ex Leone Ostiensi Baronius refert: verùm Anonymus Scriptor Hasenrietanus, apud Gretserum & Raderum, iuxta Aritiam mortuum fuisse scribit; cumque corpus eius Eistadium deportari deberet, à Rauennatibus ex itinere raptum & interceptum, apud eos in suburbanâ S. Mariæ Virg. Ecclesiâ inhumatum esse.

7. *Stephanus IX.*

Fridericus Lotharingiæ Ducis Godefridi, eius qui ab Henrico III Ducatu exactus, in Italiâ exilium tolerauit, frater, Gozelonis filius, S. Leonis IX Papæ Cancellarius fuit, missus ab eodem cum reliquis Legatis, Humberto Syluæ Candidæ Episcopo, & Petro Amalphitano Archi-Episcopo, Constantinopolim, pro tollendo Græcorum Schismate. Inde rediens suspiciones & iram Cæsaris declinaturus (huic suspectus erat, quasi allatis è Thraciâ aulâ pecuniarum thesauris, vnà cum fratre, quem Beatricis matrimonium ex profugo potentissimum Italiæ Principem fecerat, res nouas moliretur) habitum S. Benedicti in Cassinensi Cœnobio induit, factus breui eius loci Abbas, mox Victoris beneficio Cardinalis; cui etiam, post duos annos & menses tres regiminis expleti, in Romanâ Cathedrâ successit; assumpto, Romanis ita volentibus, Stephani nomine, nonus vocatus est, cùm decimus, vt Onuphrius & Baronius censent, dicendus sit. Aliorum autem præterea istius temporis Pontificum exemplis notum est, non penes electos, vt hodie & aliquot retro seculis, sed electores stetisse, quo nomine deinceps Papalia munia capessentes vocandi essent. Hunc etsi aliqui Gallum faciant, disertè tamen ab Othone Episcopo Frisingensi, *lib. 6, cap. 33,* natione Teutonicus vocatur, ideoque non videtur rectè prætermissus à Mersæo esse. Sedit mensibus duntaxat octo, mortuus anno 1058, 4. Kal. April. Florentiæ, ibidemque in Ca-

Cathedrali sepultus. Ad eius sepulchrum plurima signa Christum ostendisse, Leo Ostiensis auctor est. Hic Mediolanensem Ecclesiam dudum Romanæ Sedi minùs obedientem, Petri Damiani operâ, quem Episcopum Ostiens. & Cardinalem creatum, eò miserat Legatum, ad reuerentiam Summi Pontificis feliciter reduxit. Eadem de Græcis cogitata eius, destinatâ in illam rem Constantinopolim legatione, præfestina mors irrita fecit. Auctor est Possevinus, scripsisse hunc contra Constantinopolitanum Patriarcham de veritate corporis Christi. Erroneum est, quod de illo Platina refert, incusati hæreseos Henrici Imp. Nam tertius eius nominis (Itali secundum vocant) viuo adhuc decessore obierat; & filij eius, admodum pueri, ætas illius criminis Stephano sedente incapax erat.

8. *Hadrianus VI.*

Post Stephani obitum trecenti & sexaginta vnus transierunt circiter anni, cùm, qui hactenus è gente nostrâ S. Petri Successorum vltimus fuit, absens & omnia alia cogitans, Papa lectus est. Hunc enim, vt sæpe aliàs, discordia Cardinalium, sed non sine diuino nutu, Pontificem fecerat, tunc temporis in Hispaniâ consistentem; quam per Caroli Imp. ad coronam Cæsaream suscipiendam, & Imperij habenas capessendas in Germaniam profecti absentiam regebat. Natus fuerat in ciuitate Vltraiectinâ, inter nobilissimas Belgij censitâ, parentibus modicis, ideoque; post Deum, sibi, & excellenti ingenio suo, studiosæ industriæ, & eximiæ probitati debuit, quòd per varios honorum gradus ascendens gloriæque iter emetiens, ad vltimum ipsam supremæ inter homines dignitatis arcem tenuit. Louanium studiorum suorum matrem ac nutritiam habuerat, vbi etiam-nunc pietatis & munificentiæ eius magnifica vestigia supersunt; & ex Decano S. Petri Doctoreque S. Theologiæ publico, ac Academiæ Cancellario, studijs Caroli Imperatoris, tunc admodum adolescentis, præfectus est; cuius fauore ac commendatione, cùm à Ferdinando Catholico Hispaniarum Rege Dertusensem Episcopatum, & pileum Cardinalitium à Leone X Pont. Max. consecutus esset, statim adiecta est, quæ vna supererat, Papalis dignitas. Exortum erat sub Leone Decessore eius breui antea Lutheranum incendium, cui extinguendo totus imminebat, misso in eam rem Nuntio in Germaniam Francisco Cheregato, & consultis passim doctissimis viris; inter quos etiam Erasmus Roterodamus fuit, quem Louanij familiariter cognitum plurimi faciebat ob ingenium, doctrinam, & virtutem. Verùm perficiendæ rei vsque adeò salutari & necessariæ, reliquisque præclaris cogitatibus eius breuitas Pontificatûs, & mors præpropera obstitit. Obijt enim necdum expleto integro post electionem biennio, sæpe cõquestus, quòd promptissimæ voluntati suæ, ad succurrendum labenti passim & periclitanti ab hæreticis, à Turcâ, & alijs hostibus Christianitati, reliqua nõ respon-

respondérent. Hinc siue ipsius, siue Cardinalis Enckeuordij iussu, in Epitaphio eius operoso & splendido etiam-nunc legitur: *Nihil infelicius ipsi in omni vitâ accidisse, quàm quòd imperauerit*; & alterum hoc æquè emphaticum, quod dum viueret, crebrò in ore habuerat: *Multùm referre, in quæ tempora vel optimi cuiusq; virtus incidat.* Obijt 15 Kal. Octob. an. 1523, non sine veneni, vt aliqui voluêre, suspicione; tumulatus post annos aliquot in templo B. Mariæ Virginis Germanorum. Sui temporis Curialistis correctionum non admodum amantibus parùm gratus fuit, eò quòd, cùm insigni modestiâ & morum grauitate venerandus esset, non obscurè præ se ferret, Ecclesiæ reformationem ab ipsa Pontificiâ aulâ incipi oportere, si fructuosè deberet institui. Et fecit sanè maiorem, quàm dici aut credi possit, Ecclesia Catholica morte eius iacturam; non dubitantibus temporum, personarum, & rerum peritis, potuisse per illum, aspirante superni fauoris diuiniori aurâ, si diutiùs superuixisset, restingui necdum adultam illâ huius tempore flammâ, quâ postea immensùm prævalente & excrescente, pridem tot florentissimæ Europæ prouinciæ miserabiliter deflagrârunt. Cessante igitur per mortem inuidiâ, aucta est in omnium animis viri admiratio; ac aliàs non minùs in vitâ quàm post fata eius, optimus ac doctissimus quisque inuidendis illum honestârunt elogijs. Bellarminus de Script. Eccles. *Virum* vocat *æquè doctum ac pium, qui merito doctrinæ & pietatis, ex humili loco & pauperrimâ domo, adscenderit ad magnas opes, & maiores honores.* Laurentio Surio est, *vir tum insigni doctrinâ, tum morum integritate, & singulari prudentiâ.* Valerius Andreas illi tribuit *incredibilem vitæ integritatem, & doctrinæ præstantiam*; Card. Enckeuortius in Epitaphio, *incomparabilem sacrarum disciplinarum scientiam, ac propè diuinam castissimi animi moderationem.* Erasmus Roterodamus * se vocat integritatis eius admiratorem, & boni Pontificis verissimis laudibus cumulatè * insignit. Lib. 23, ep. 2, *Mundum vnum Adrianum spectare scribit, qui rebus humanis serenitatem reducat.* In gratulatoriâ de Pontificatu ait rerum humanarum tempestatem talem requisiuisse nauclerum. Apud Franc. Sweertium in Belgicis Athenis extat hæc sepulchralis inscriptio, quæ in Vaticano legebatur priusquam corpus transferretur:

Quo Romanorum SEXTVS Pater atque Sacerdos,
Hoc etiam PIETAS conditur in tumulo.

Ad illud re ipsâ etiam videntur alludere voluisse, qui, vt inter duos PIOS, II & III, pijssimus Pontifex temporariâ tumulatione deponeretur, auctores fuêre.

Nonus his addi potuisset Conradus Episcopus Portuensis, de quo sub sequenti huius capitis membro agetur, modò ipse voluisset. Exortâ enim inter Cardinales vacante Sede discordiâ, * cùm in tres, è quorũ numero Conradus

* *in Dedicatoriâ Arnobianâ.*
* *Ibid. in fine.*
* *post mortẽ Honorij III.*

erat, compromitteretur, duo reliqui hunc tertium elegerunt; verùm hic renuit dicens: *Absit vt dicatur quòd me ipse elegerim.* Ita è Chron. Villarienſi Miræus, & Chryſoſtomus Henriquez. Poſſe aliàs plures Compromiſſarios è ſuo numero æquè ac è reliquis aliquem eligere, extra dubium eſt apud Canoniſtas pariter & Legiſtas, vſque adeò, vt etiam ſuo ipſius voto tali modo electus alijs ipſum eligentibus accedere poſſit, *cap. 33, ext. de Elect.*

DE CARDINALIBVS S. ROM. ECCLESIÆ GERMANIAM agnoſcentibus matrem.

NEcdum vacauit mihi paulò diligentiùs inquirere in hæc reliqua communis patriæ ornamenta, quæ etiam maiori ſine dubio ſe offerrent ſcrutantibus numero, ni Germanica modeſtia iam inde ab antiquo minùs ambitioſa fuiſſet in ſacræ purpuræ procatione; ac Præſules noſtri, contrà ac alibi fieri cernimus, præter Epiſcopalem dignitatem, Imperij Principum gradu contenti, reliquam illam ſacri honoris acceſſionem plerique non admodum curâſſent. Sit documento, à Pontifice Romano Vrbano VI, tribus Eccleſiaſticis Electoribus, duobus Epiſcopis, & vni minorum gentium Prælato, vnâ ſimultaneâ Patrum allectione, Cardinalatum ultro oblatum fuiſſe, & ne vnum quidem de ſex acceptâſſe, quamuis nullus illorum non fuerit de offerentis obedientiâ. Nam ſubiecta habilia ad eam rem nobis defuiſſe, hiſtoriæ ſuperiorum ſeculorum ſatis ſuperque refutant. Dubito interim, licèt meum non ſit de tanti momenti re qualecunque iudicium interponere, an è dignitate ſit nominis Germanici, vti olim & hodie ARMIS & FIDE ſupra omnes orbis nationes, nec ipsâmet in florentiſſimo vigore ſuo contradicente * ROMA, incliti, ita longo iam tempore, nec literarum & eruditionis gloriâ cuiquam prouinciarum habitati orbis concedentis; quòd, cùm Galli & Hiſpani communiter numero plures è ſuis in Cardinalium Collegium coôptari curent, è Teutonicis vix vnus & alter pro tempore illum orbis Chriſtiani Senatum conſeſſu ſuo honeſtent. Certè, ſi auitum Imperij decus, & Imperialem Aquilam, tot iam ſeculorum decurſibus, nec quicquam Teutonicæ gloriæ æmulis ringentibus, in ſolo noſtro feliciter nidulantem, tueri nobis, vti æquum & honorificum eſt, voluntas & animus ſuppetit; nullius omnium Apoſtolicæ obedientiæ partium pluris intereſt, quid rerum Romæ geratur & concludatur, ac in primis quem habeat Vrbs & Orbis Pontificem, quàm principis Europæ

Tac. lib. 13 Annal.

ropæ prouinciarum Germaniæ, ac Italorum pariter & Teutonum Imperatoris, omniumque Monarcharum Primicerij, Cæsaris Augusti. verùm hæc prudentioribus consideranda dimittimus. Qui igitur huc-vsque aliud agenti se sponte obtulerunt, ferè hi sunt.

1. *Amalarius Fortunatus Archi-Episcopus Treuerensis.*

Amalarium Fortunatum Treuerensem Archi-Episcopum & Ecclesiasticum Scriptorem, cuius superstant libri 4 *de diuinis officijs* & alia, sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem fuisse, non Mersæus *in Catalogo Antistitum Treuir.* tantùm, sed etiam Guil. Eisengrein *in Catal. test. verit.* & Constantinus Caëtanus in vitâ *Amalarij* affirmant. Est tamen de patriâ nonnihil difficultatis, an nimirum Gallis, vel Germanis accenseri debeat. Trithemius sine aliquo dubio Teutonem facit; de quâ re Caëtanus in vtramque partem disputat: quem, qui cupit, inspicere, & quæ vtrinque afferuntur, ponderare potest. Nec video tamen, cur Trithemij fides eleuanda sit, præsertim cùm vitæ citatus Scriptor, non sedisse tantùm Treueris Amalarium, sed & primam illìc lucem vidisse fateatur. In sano igitur sensu, & secundum respectûs diuersitatem, vtrumque verum esse potest, & Gallum, & Germanum fuisse. In editione Sigeberti *de illustribus viris* Suffridi Petri, Attalarius corruptè vocatur. Bellarminus illum vocat *sui temporis dissertissimum.* Ludouicus Pius Imp. cui de officijs libros inscripsit, hoc Legato vsus est tum ad Gregorium IV Pontificem, tum ad aulam Constantinopolitanam. Obijt, secundum Caëtanum, an. 833; qui Beatis annumerat: quâ in re ipsi reliquisque, Cochlæo, Wioni, &c. facilè assentior. Hugo tamen Menardus Benedictinus hunc præterit in sui Ordinis Martyrologio. Quæ de libris officiorum dixi, qui communiter huic tribuuntur, Iacobus Sirmondus *in Notis ad tomum 2 Concill. Gall.* & Miræus *in Notis* ad Regulam Canonicorum, cognomini & synchrono eius Metensi Diacono adiudicant, sequuti auctoritatem Ademari Engolismensium Annalium Scriptoris; de quâ controuersiâ, ipso Auctore non inspecto, difficile est æstimare. Hactenus igitur Fortunatum possessione suâ frui permitto.

2. *Altvvinus Episcopus Brixinēsis.*

Altvvinus, siue Adovvinus, Brixinensis Episcopus, qui Damaso II ad Apostolicam curam translato successit, in ordinem primæ illius Sedis Cardinalium à Decessore suo allectus fuit, vt testatur illius loci Episcoporum Catalogus, & ex illo Hundius *in Metropol. Salisb.* interfuit an. 1080 Conuentui Episcoporum Brixinensi, contra Georgium VII depositionis sententiam promulgantium. viuebat adhuc an. 1090, quo consecrauit Monasterium Sonnenbergense in Carinthiâ.

3. *Fridericus Lotharingus.*

Fridericum Lotharingum, qui Pontifex Stephanus IX dictus fuit,

Victor II Cardinalem creauit; cuius non-nisi obiter hìc meminisse volui, cùm inter summos nostræ gentis Antistites de illo iam dictum sit. Solus autem hic, & sextus Adrianus, è Teutonicis Pontificibus ante Papatum Cardinales fuêre.

4. B. Gerhardus Ratisbonensis.

Gerhardum, è ciuitate Ratisbonensi cunabula repetentem, qui variante apud Auctores scripturâ, etiam *Giraldus, Geroldus, & Geraldus* nominatur, Matthæo Radero debeo: qui illum refert *tertio Tomo Bauar. sanctæ* è Ciacconio, Chron. Cluniac. Arnoldo Wion, Bertoldo Constant. & Schaffnaburgensi. Hic cum Sancto Walderico Romam profectus, Cluniacum se cõtulit ad Sanctum Hugonem Abbatem; à quo in Ordinem receptus, cælestibus disciplinis institutus est, ac breui eos in pietatis scholâ progressus fecit, vt loci Prior constitueretur: ita enim capio Raderi verba de proximo ab supremo loci Præside loco. Famâ autem hominis ad Alexandrum II delatâ, in S. Petri Damiani locum, Ostiensis Episcopus allectus est; à quo, & Successore eius, septimo Gregorio, in Galliam, Hispaniam, Germaniam, ac nominatim ad Henricum IV Imperatorem Legatus maximis de rebus missus est. Meminit Ciacconius quartæ eius Gallicæ & Germanicæ legationis, quæ malè ipsi vertit: nam ab Henrico Imp. interceptus, & diù in custodiâ detentus est, quòd ad Saxones, hostes eius, vltimam legationem præcipuè obiuisset. Ita Ciacconius scribit, & ex illo Raderus. Aliter Scriptor vitæ S. Anselmi Lucensis, qui in Italiâ, & Mediolanensi legatione, à militibus Imperatoris comprehensum memorat. Dicit nihilominus Raderus, illum, contra fidem publicam & iusiurandum, ab Henrico IV vinculis constrictum fuisse; quod nescio quo auctore dicat. Dimissus tandem ad Gregorium redijt, & breui pòst obijt non. Decemb. anno 1077; *cùm diù*, vt Schaffnaburgensis addit, *seculo viuus, mundo crucifixus fuisset*. Magna huius viri laus est, quòd Bertoldus Constantiensis illum *scripturarum scientiâ insignem, & S. Petri Damiani*, cui anno 1072 in Ostiensi Pontificatu successerit, *moribus non imparem fuisse* affirmat. Videndus etiam de hoc Baronius *in Annalibus*.

5. Theodevvinus.

Theodevvinus, (Baronius Theodinum vocat) Innocentij II creatura, vt loquuntur, fuit, secundâ creatione, anno 1134, in Portuensem & S. Rufinæ Episcopum assumptus. Solebant enim antiquitus, aliter ac hodie & aliquot retro seculis seruatur, pro libitu Pontificum, & qualitate promouendorum, qui Cardinales creabantur, subinde statim in Episcopos assumi: quod in B. Gerhardo Ratisbonensi iam vidimus, & in Conrado Moguntino statim, Oliuerioque Westphalo postmodum monstrabitur, præter Petri Damiani & exempla alia hinc inde obuia. Legatus fuit à latere Apostolicæ Sedis pro

Inno-

Innocentio II, quo tempore, an.1139, Confluentiæ Conradus III electus est. Functus est apud eundem Apostolicâ legatione in bello sacro, anno 1147 ad sepulchrum Domini in Palæstinam suscepto, Eugenij III missu. Vixit adhuc Theodevvinus an. 1153, videturque sub Anastasio IV obijsse. Alius ab hoc Theodevvinus est, 53 Leodiensium Episcopus, qui sub Gregorio VII, an.1075, obijt. Porrò quæ de Confluentinâ legatione dixi, è Frisingensi sumpta sunt; qui addit Summi Pontificis, totius Romani populi, vrbiumque Italiæ assensum promisisse. *Otho Fris. lib.7, cap.22.*

6. *Benno Schismaticus.*

Sequitur Benno, is qui de vitâ Hildebrandi, postea Gregorij in Pontificatu dicti, acerbissimæ amarulentiæ scriptum reliquit. Hunc prætermittere poteram, nisi Onuphrius illum relatu dignatus esset; qui nec illos præterit, qui Antipapis adhæserunt, aut ab illis creati sunt. Hic tamen ante Clementinum schisma iam tunc Cardinalatum tenuit, creatus ab Alexandro secundo. Huius autem de Gregorio sanctissimo Pontifice, ac diuersis alijs, commenta acriter insectatur, & solidissimè refellit in Annalibus suis incomparabilis Catholicæ fidei & historicæ veritatis propugnator Baronius Cardinalis.

7. *Cuno Eremita.*

Cuno Presbyter Cardinalis S. Anastasiæ à Gregorio VII creatus fuisse scribitur ab Onuphrio. Is postea Prænestinum Episcopatum consecutus est, videturque obijsse sub Gelasio secundo. scribit idem, prout excusum est in Aubrianâ Francofurtensi editione anni 1614, pag. 266, Chronici Chronicorum *part.1, pag. 266,* fuisse Cunonem eremitam Trunciberenger Ordinis Arrosiam; quæ mera monstra sunt. Arnold. Wion hunc scribit Eginonis Dynastæ de Vrach filium fuisse, quod Onuphrius & Raderus ad Conradum Portuensem, ab Honorio III, vt videbimus, creatum referunt. Idem tradit, Cunonem hunc à Paschale II assumptum esse; sed potior Panuinij est fides, in Pontificum & Cardinalium historiâ versatissimi.

8. *Dietericus.*

Dietericum refert idem Onuphrius Panuin. inter XIII Presbyteros Cardinales, ab Vrbano II allectos; de quo apud alios, si qua extant, plura inquirere superest.

9. *Conradus Moguntinus Archi-Episcopus*

Conradus frater Othonis Comitis Palatini de Wittelsbach, consanguineus Friderici I Imp. (ita Serarius) vel, vt Onuphrius tradit, è familiâ de Stophen, natione Sueuus, prædicti Imp. affinis, (prius magis placet) electus in Arnoldi à Moguntinis ciuibus trucidati, locũ, anno 1160; ortâ inter ipsum & Imp. simultate & inimicitiâ, eò quòd Octauianum Antipapam recipere & agnoscere abnueret, Sede suâ pellitur, fugitque ad Alexandrum III Pontif. Max. in cuius gratiam incurrerat illam fortunæ malignitatem. Ab hoc beni-

gnè exceptus, in ſolatium acceptæ ignominiæ, Epiſcopus Cardinalis Sabinus creatus fuit primâ Cardinalium lectione, anno 1165. Onuphrius hunc etiam Saltzburgenſem vocat Archi-Epiſcopum : quod licèt Trithemio quoque memoratum ſit, erroneum tamen eſt, vti Serarius *l.5 rer.Mogunt.p. 822* indicat. Fuerunt certè circa eadem ferè tempora duo eius nominis Iuuauienſes Archi-Epiſcopi; verùm iſtorum neuter ad hunc pertinet : prior Baro Abenſbergenſis; alter ex Auſtriæ Marchionibus, frater Friſingenſis Othonis. Hic autem Moguntinus, poſt Chriſtiani I, qui ſuffectus ipſi fuerat, obitum, anno 1180, redijt ad Cathedram ſuam, & ſedit viginti de nouo circiter annos, mortuus anno ſeculari 1200, ſedente Innoc.III; cùm non ita diù antea è terræ ſanctæ expeditione, quam Henrici VI iuſſu cum multis alijs Germaniæ Principibus ſuſceperat, domum reuerſus fuiſſet.

10. *Sigefridus II, Archi-Epiſcopus Moguntinus.*

Sigefridus, eius nominis ſecundus Moguntinus Antiſtes, è Baronibus de Eppenſtein, eodem quo prædeceſſor fato, Sede ſuâ pulſus, Romam ad Pontificem, cuius obedientiâ, in deponendo Brunone Colonienſi Archi-Epiſcopo, loco ſuo exciderat, refugium ſumpſit. Erant enim duo tunc temporis in ſchiſmate electi Imperatores; Otho & Philippus: ac prioris partes Innocentius eo tempore tutabatur, eaque de causâ, iuſſis eius obtemperans Sigefridus, à Philippo Imperatore Sede ſuâ deturbatus eſt. Aſſumptus ergò in Collegium Cardinalium, titulum S. Sabinæ obtinuit; vti non Serar. tantùm è Moguntino Chronico, ſed etiam Godefridus S.Pantal.Monachus ad annũ 1208 teſtantur. Veriſimiliùs tamen iudico, potiùs Sabinorum Epiſcopum, quàm S.Sabinæ Preſbyterum fuiſſe. Moris enim illo æuo necdum fuit, ex Epiſcopis & Archi-Epiſcopis Preſbyteros Cardinales facere. Sedit à reditu, expulſo Leopoldo, cui cedere coactus fuerat, annos circiter 17, obijtque anno 1225.

11. *Simon Limburgius.*

Ad hæc etiam tempora referendus videtur Simon, è Limburgenſium Ducum ſtemmate, Henrici IV filius, Walrami II, qui an. 1226 obijt, frater; quem Gelenius *lib. 2 hiſtor.S.Engelberti, pag.168*, Cardinalem Leodienſem vocat. Hunc Onuphrius omittit. Cur autem Leodienſis à Gelenio dicatur, non percipio; nec enim *in Catalogo Epiſcoporum* Simon aliquis compáret. Fortè Canonicatum illìc poſſederit.

12. *Conradus Portuenſis Epiſcopus*

Conradus filius Eginonis, Comitis de Vrach in Sueuia, ſiue, vt Onuphrius ſcribit, Suitonum Dynaſta (magna enim Heluetiæ pars, Thurgouia, eique vicinæ terræ, olim Sueuiæ accenſebantur) ab Honorio III creatus, Monachus & Abbas Ordinis Ciſtercien. de cuius progreſſibus Cæſariũ Heiſterb. audiamus lib.3, cap.33: *Quàm ſublimis perſona factus ſit poſtea*, (Conradus)

non

non solùm in Ordine, sed & in Ecclesiâ, nouimus omnes. Primò Prior factus est in Villariâ, (eius loci Nouitius fuerat;) *& deinde ibidem electus est in Abbatem Cisterciensem. Nec in illo gradu stare potuit; sed à Domino Honorio Papâ vocatus est in Cardinalem, & Episcopum Portuensem: quid adhuc futurum sit de illo, ignoramus.* Scripsit enim illa Cæsarius anno 1222, tertio post assumptionem in Collegium sacrum Conradi anno. Refert de hoc memoranda Thom. Cantiprat. *lib. 2, c. 9*; vbi & Alemannum nobilissimè natum testatur. Discrepant autem Auctores de familiâ, voluntque è Bauariæ Ducibus prodijsse Arnoldus Wion, & Abraham Bzouius; (addit illis Panuinium Raderus, qui in meâ editione contrarium asserit) quos refutat in Bauariâ sanctâ modò dictus Auctor. Attamen illis assentitur, qui post Raderum scripsit, Chrysostomus Henriquez *lib. 1, disti. 26, Fasciculi de Sanctis Ord. Cisterc.* Functus est Conradus Apostolicâ legatione contra Albigenses in Galliâ hæreticos; quâ finitâ in terram sanctam profectus est, & *aliquanto tempore in vastâ quâdam eremo sanctissimo alicui eremitæ adhæsit: sed cùm ob naturæ suæ imbecillitatem* (verba sunt Wionis) *vitam illam ferre diutiùs non valeret, redire ad patriã disposuit; quod cùm faceret, morbo correptus est, & in ciuitate Barensi obijt,* anno 1225, (Pigna habet 1226,) & ibidem honorificè sepultus est. In vtroque dissentit Henriquez; qui anno 1129 obijsse, & in Clara-valle requiescere scribit, Chronico & Epitaphio sua firmans. Hæc vltima sententia vero proximè accedit. Anno enim 1226 in Germaniâ fuit Apostolicus de latere Legatus; vbi tunc temporis, celebrato Moguntiæ Concilio, Sanctorum numero adscripsit B. Engelbertum Colon. Archi-Episcopum, præcedenti anno martyrio coronatum.

13. *Oliuerius Episcopus Paderbornensis.*

Oliuerius *Saxo,* siue *VVestphalus*, vir doctissimus, Metropolitanæ Colonienses Ecclesiæ Scholasticus, & Prædicator facundissimus S. Crucis per Brabantiam, Flandriam, Frisiam, gentesque conterminas, socius fuit expeditionis in terram sanctam sub Innocentio III, quâ Damiata firmissimum Ægypti propugnaculum à Christianis captum fuit. Absens in Palæstinâ, ad Ecclesiam Padibornensem in Episcopi Bernardi defuncti locum vocatus est; ac biennio circiter exacto, ab Honorio III, an. 1220, creatus est Episcopus Cardinalis Sabinus. Albertus Stadens. vocat Presbyterum S. Sabinæ. Mortuus videtur sub Gregorio IX. Is enim Episcopatum Sabinum contulit Gaufredo Castillionæo Cardinali S. Marci, suo in Pontificatu postmodum Successori, Cælestino IV vocato. Videndus de hoc, præter antiquiores, Albert. Staden. & Cæsar. Heisterbachcensem, Bongarsius in Prolegomenis præclari Operis, *Gestorum DEI per Francos.* Extat in illo complurium Auctorum volumine Epistola Oliuerij de captâ à fidelibus Damiatâ, ad Engelbertum Archi-Episcopum

pum & Capitulum Metropol. Colon. sed mutila. Reliqua eius de Orientalibus rebus historia, hactenus inedita, in pergameno, ipsius Oliuerij æuo, vel circiter, vt characteres indicio sunt, scripta, extat apud Doctorem Medic. Monaster. Bernardum Rottendorpium iuniorem, qui editionem propediem adornabit.

14. *Henricus de Hohenberg, Abbas Fuldensis.*

Inter reliquos, quos Nicolaus V Anti-Papa, Ludouico Bauaro imperante, anno 1327 creauit Cardinales, fuit etiam Fuldensis eius temporis Abbas, teste Onuphrio in epitome: qui non alius esse potest quàm Henricus de Hohenberg, in ordine 52; qui ab anno 1314, per annos ferè 40, Fuldensibus præfuit.

15. *Matthæus Episcopus Brixinensis.*

Matthæus *Contzman* Athesinus, Episcopus Brixinensis, anno 7350, cum duodecim alijs Onuphrio memoratis, (hunc vnum subticet) ad purpuram vocatus est: sed ille, vt Hundius *in Catalogo* scribit, modestè renuit, neque titulo vnquam vsus est.

16. *Ioannes Archi-Episcopus Pragensis.*

Bohemiam Germanici Imperij prouinciam & insigne membrum esse, publicè constat; ipsosque Bohemos verè Germanos esse, satis validè, vt omnino assentiri oporteat, Goldastus probat *in libris de regni Bohem. iuribus.* Iure igitur Ioannem Pragensem Archi-Episcopum, anno 1379 ab Vrbano VI in Senatum Cardinalium allectum, hìc recensebimus; cui titulus assignatus fuit SS. XII Apostolorum. Fuit hic ortus de clarâ Procerum de Wlassim familiâ, cogn. Oczko, initio Olomucensis in Morauiâ Episcopus, *nu. 24*; scribitque in illius Ecclesiæ Præsulum Catalogo *Augustinus Morauus*, huic in arce Raudnick Beatam Dei Genitricem Mariam visibiliter apparuisse.

17. *Sex Germani ab Vrbano VI creati.*

Idem Pontifex Vrbanus, anno 1385, quartâ creatione Cardinalium, creauit octodecim; è quibus Germani sex fuerunt: quorum tamen nullus acceptauit oblatum honorem. Placet hæc *Theodorici à Niem* coætanei illorum temporum historici, in medium proferre, qui *lib. 1 de Schism. cap. 43.* scribit: *Die verò sequenti post festum Epiphaniæ Domini, me præsente, ad pronuntiationem multorum nouorum Cardinalium, ipse in præfato castro in publico Consistorio exorsus est sermonem; & quem tunc fecit hic erat: Lætare Germania, & nominans eos, inter quos erant Colonien sis adhuc viuus, & Moguntinensis atque Treuerensis Archi-Episcopi, & Arnoldus Leodiensis defuncti, nec non VVenceslaus Vratislauiensis Episcopi, ac Dominus Petrus de Rosenberg, nobilis genere & honestæ conuersationis Presbyter, de regno Bohemiæ natus: qui tamen vnanimiter, post longam deliberationem inter se habitam, omni ambitione semotâ, huiusmodi Cardinalatûs honorem acceptare noluerunt.* Fuerunt autem Cardinales illi è Teutonicis ab Vrbano creati, vt Onuphrius scribit, Ludovvicus *de Misnâ*, siue è Marchionibus Misniæ, priùs Episcopus Bamber-

bergensis, à Gregorio XI contra Adolphum Nassouium prouisus, Moguntinus; Fridericus *de Sarvverden*, Colon: Cuno *de Falckenstein*, Treuerensis Archi-Episcopi; & Arnoldus *de Horn*, Leodiensis Antistes: reliquos ex Niemio audiuimus; quorum VVenceslaus è Ducibus fuit Lignicensibus. *Catal. Episc. Vratisl. apud Schickfusium.*

18. *Ioannes Ægidij Præpositus Leodiensis.*

Ioannem Aegidij Rotæ Auditorem & Doctorem vtriusque Iuris, Præpositum Leodiensem, Innocentius VII anno 1405 creauit Diaconum Cardinalem SS. Cosmæ & Damiani. Mortuus est sub Gregorio XII, an. 1407, in Italiâ, & cadauer eius Leodium deportatum, ibique sepultum fuit. Hunc Onuphrius non vno in loco Germanum vocat. Auctor verò Nomenclaturæ Cardinalium, anno 1614 Tolosæ excusæ, pag. 184 Gallum facit; aitque vulgò dictum fuisse Leodiensem Cardinalem.

19. *Matthæus Episcopus VVormatiensis.*

Matthæum *Cracouiensem*, licèt ortu Polonum, iure Germanis annumero; tum quia Ruperti Imperatoris Orator & Cancellarius fuit; tum quia Wormatiensem Ecclesiam aliquot annis bonus Pastor vtilissimè rexit. Creauit eum Cardinalem *tit. S. Cyriaci in Thermis* Gregorius XII an. 1408. Obijt anno 1410, 5 Martij; Wormatiæ in chori medio humatus. Multa scripsisse traditur, quæ asseruentur & ostendi soleant in *Franckenthalensi* Cœnobio. Sunt & inter Felicis V Anti-Papæ Cardinales *Alexander Masouiæ* Ducis filius anno 1440, & *Vincentius* Archi-Episcopus *Gnesnensis* creatus anno 1443; Quos Onuphrius & Polonos, & Germanos vocat. Verùm illi huc non pertinent. Nam cùm Basileensis Concilij Patres in quatuor nationes distribuerentur, sub Germanis Poloni cum aliquot alijs prouincijs comprehensi fuerunt; quæ occasio Onuphrio fuit illius appellationis.

20. *Georgius Episcopus Tridentinus.*

Tridentinum Episcopum, Georgium nomine, (familiæ nomen non additur, apud *Ianum Pyrrhum Pincium*, qui de Tridentinis Episcopis libros duodecim scripsit & edidit, fortè inueniendum) Ioannes XXIII, anno 1411, inter Purpuratos cooptauit, teste Onuphr. Panuinio; de quo plura hoc tempore quæ dicam non habeo.

21. *Ioannes Episcopus Olomucensis.*

Ioannes, cogn. *de Pragâ*, è Lythomislensi Sede ad Olomucensem postulatus, aduersante sibi Imp. Wenceslao, ægrè præualere potuit; obtentâ tamen ad vltimum electionis suæ approbatione à Constantiensi Concilio. *Ita Morauus in Catalogo.* Panuinius addit, etiã Pragensem Archi-Episcopum fuisse; de quo prædictus silet. Martinus Papa V hunc Cardinalem titulo S. Cyriaci in Thermis creauit anno 1426. Naturæ debitum persoluit anno 1430 Strigonij in Hungariâ; sepultus Vaciæ, eiusdem regni Episcopali ciuitate. Elogium ipsius apud Morauium tale legitur: *Hic non Pontificem modò gessit, sed fortissimum*

& militem & Imperatorem, hæreticorum copijs illius auſpicijs ſæpe fuſis: cùm is cataphracto etiam equo inſidens, inſtructis eorum aciebus identidem occurrere non dubitauerit, ob id vulgò FERREVS nuncupatus.

22. *Vrbanus electus Traiectenſis*

Vrbanus, electus *Traiectenſis*, anno 1440 à Felice V Anti-Papa inter Purpuratos fuiſſe allectus ab Onuphrio traditur, quem in Catalogis Epiſcoporum iſtius loci, apud Auctorem Magni Chron. Belgici, Barlandum, & Nouiomagum fruſtra quæſiui.

23. *Ioannes Epiſcopus Argentinenſis.*

Inter Cardinales eiuſdem Felicis V refertur etiam à Panuinio Ioannes Epiſcopus *Argentoratenſis*, qui tit. S. Sixti, anno 1440, in Collegium ſit adoptatus. Fuit is Ioannes *de Ochſenſtein* Præpoſitus Maior, ſenex decrepitus, electus an. 1439 in ſchiſmate contra Conradum Baronem de Tuſnanch Turgouium, vt Guillimanus & Bruſchius teſtantur. verùm neuter Cardinalatûs meminit; de quo tamen Onuphrio, vtpote in foro ſuo verſanti, facilè credo.

24. *Ioannes Grienvvalt Epiſcopus Friſingenſis.*

Eadem Cardinalium creatio ad purpuram vocauit alterum Ioannem, cognom. *Grienvvalt*, Friſingenſem Epiſcopum, filium nothum Ioannis Monachienſis Bauariæ Ducis. Fuit hic Doctor Decretorum, ac diſputauit cum Ioanne Huſſo in Conſtantienſi Concilio. Contra hunc Nicodemus de Scalâ è Veronenſium Principum familiâ ſe in Epiſcopatum ingeſſit; cui etiam per totos viginti annos vi ſe tuenti Ioannes cedere coactus fuit, donec illo mortuo denuo per decennium Sedem poſtliminiò teneret; quamuis ne tunc quidem ſine diſſidijs & contradictore. Imperialis enim aulæ Cancellarius Gaſpar Schlick, Henricum fratrem ſuum, potentiâ ſuâ & Cæſareâ gratiâ intrudere ſategit, qui totos annos 7 hunc Friſingenſem litibus & earum impenſis fatigans, ſe alioſque multùm inquietauit; ſed non præualuit. Mentio huius controuerſiæ eſt in diuerſis Æneæ Syluij epiſtolis. Ceterùm Cardinalatus huius Ioannis, ipſius Felicis abdicatione & ſchiſmatis abolitione, finem accepiſſe videtur; nec meminit eius Hundius in Catalogo, vti nec Panuinius in Nicolai V Purpuratis. E Cardinalibus enim Felicianis non niſi tres factâ reconciliatione locum tenuerunt.

25. *Petrus Epiſcopus Auguſtanus.*

Inter præcipua omnis æui lumina Germanicæ nobilitatis memorari meretur Petrus de Schovvenberg Equeſtri loco apud Oſtro-francos, quos vulgò Francones nominamus, ortus, Auguſtanus Epiſcopus, *vir eximiè doctus*, inquit Bruſchius, *eloquentiâ & prudentiâ ſummâ nemini ſecundus.* In Bononienſi Academiâ literis operam dederat, præfuitque Epiſcopatui Auguſtano, qui Martini V Pontificis ſententiâ, anno 1420 ipſi commiſſus fuit, vt Bruſchius ait, annis 45, ſeu veriùs 49: anno enim 1469 obijt. Cardinalis creatus eſt non an. 1439, ab Eugenio IV, vt ſcribit *in Epitome* Panuinius; ſed, vt veriùs tradit

dit Bruschius, anno Iubilæi 1450, à Nicolao V allectus. Obstat enim Onuphrio Epitaphium, in quo octodecim annis purpureum galerum gestâsse legitur. Friderico III in primis charus fuit; qui eius vtebatur consilio in maximis Imperij negotijs expediendis. Composuit & redegit in gratiam disceptantes & discordantes inter se Galliæ & Angliæ Reges & Burgundionum Ducem; sed & Bauariæ Duces concordauit. Erga pauperes liberalissimus fuit. Dilinga obitûs, Augusta sepulturæ eius locus est.

26. *Nicolaus de Cusa Episcopus Brixinensis.*

Sequitur doctissimus omnium, qui vnquam è Germanis Cardinalitiam purpuram vestierunt, Nicolaus de Cusa, ad Mosellam amnem modico vico cognomine ortus. Hic cùm Decanus esset S. Florini apud Confluentinos, occasione Eugeniani schismatis, cui abolendo Thomas Sarzanensis Bononiensis Episcopus, ac postmodum Cardinalis S. Susannæ, Nuntius Apostolicus in Germaniam missus erat, ad prædictũ honorem sibi gradum fecit. Cõtractâ enim, Treuerensis Archi-Episcopi nomine tractatibus prædictis adhibitus, cum Sarzanensi amicitiâ, viro doctissimo, &, quod verè docti, id est, virtutem cum eruditione coniungentes solent, eruditorum amantissimo; ab illo, sequenti statim anno in Eugenij locum, Nicolai V nomine, succedente, Cardinalis creatus est, anno 1448, tit. S. Petri ad vincula. Onuphrius in Epitome scribit fuisse illum priùs Canonicum Regularem, deinde Leodiensem Archidiaconum. Fuit autem non Iuris tantùm vtriusque Doctor, sed etiam summus Theologus, & excellens insuper Mathematicus. Datus anno 1450 Brixinensibus à Nicolao Episcopus, grauem illic aduersarium, quoad vixit, expertus est, Sigismundum Austriacum, illius Ecclesiæ Aduocatum, fauentem & assistentem Capitulo, quod Ducis illius Cancellarium Leonardum Wismayr elegerat. Hinc Cardinalis captiuitas, & Ducis Sigismundi facta à Pio II excommunicatio. Turbæ istæ per Fridericum Imperatorem vtcunque sopitæ sunt, tenuitque deinceps ad mortem vsque Nicolaus Sedem suam. Functus postmodum Apostolicâ legatione per Germaniam, plurimis in locis reliquit zeli & prudentiæ suæ vestigia, quæ longum sit speciatim enarrare. Vsus autem tunc est, in Cleri & Religiosorum reformatione, consilijs Dionysij Rickelij Carthusiani, qui in comitatu Germanicam istam legationem obeuntis aliquamdiu circumijt; ad quem etiam Cusani literas extare, ait Auctor vitæ Dionysij Theodoricus Loërius à Stratis; quarum tamen nulla reperitur inter impressas. Obijt anno 1464 Tuderti in Vmbriâ, cuius loci itidem Antistitem agebat; sepultus Romæ in titulo suo: Cor autem delatum est *Cusam* in patriã, vicum è regione arcis *Berncastel* situm, in hospitali, quod in honorem S. Nicolai copiosis reditibus & locuplete bibliothecâ dotatum, illic fundauit. Elogia

huius viri planè inuidenda, nec ad vnius hominis, sed vniuersæ Germaniæ verissimam laudem facientia (maiori enim gloriâ patriam suam docti & excellentes viri coronant, quàm olim Græcorum hieronicæ) apud Trithem. *de Scriptorib. Eccles. & viris Germ. illustribus*, videri & legi digna sunt. Opera huius doctissimi viri, eadem quæ tot alia præclara volumina, dedit Henric-Petrina Basileensis officina, an. 1565, excusa tomis tribus.

27. *Ioannes Episcopus Aichstatensis.*

Ioannes de Aich Episcopus *Aichstetensis*, inter Cancellarios mihi dictus, nec hîc immemoratus abibit. Nam in aliquem alium quàm huncipsum non conuenit, quod Onuphrius *in Epitome* habet, Pium II, tertiâ Cardinalium creatione, anno 1462, inter ceteros Aichstadiensium Episcopum galeri oblatione honorâsse, qui tamen beneficium remiserit. Sedit enim eo anno prædictus Præsul, obijtque anno 1464. Theologiæ & Canonici Iuris Doctor fuit; ac præterea, vt Bruschius scribit, vir eloquens & sapientissimus. Ac quamuis, vt ait Tacitus, *fastiditi odisse soleant*; mansit tamen hic ad mortem vsque in Pij Pontificis gratiâ & admiratione. Est enim memorabile, *quòd audiens ille Ioannem ex hac mortali vitâ emigrâsse, dixit Romæ in publico Cardinalium consessu: Ecclesiæ meritò deplorandam esse mortem huius Episcopi; quæ verè iam amisisset auream sui corporis columnam in Germaniâ.* Et forte ipsâ recusatione existimationem suam apud oblatorem Cardinalatûs non parùm auxerit. Duplex enim laus est, mereri honores & contemnere: ac dignitatibus indignus est, qui æquo illis animo carere nequit. Fusiorem de huius viri vitâ enarrationem apud Gretserum habemus, *in Catal. Episc. Aistetensium.*

28. *Burchardus Archi Episcopus Salisburgensis.*

Burchardus *de VVeissprіach*, Archi-Episcopus Salisburpensis, ab eodem Pio, eâdem quâ præcedens creatione, ad honorem summi in Ecclesiâ senatûs euectus est. Onuphrius illum Præpositum vocat; verùm adoptionis in Collegium tempore, iam ad Cathedram è Præposituræ stallo, vt vocant, ascenderat, anno 1461, circa anni finem. Titulum habuit SS. Nerei & Achillei; quem nostrâ memoriâ Cardinalis Baronius plurimùm illustrauit. Quâ solennitate galerum receperit, in Principum, ac nominatim Ludouici Bauariæ Ducis, præsentiâ, *Chron. Salisb.* pluribus exponit. obijt anno 1466, 16 Febr.

29. *Georgius Hæsler.*

Georgius Hæsler, Friderici III Consiliarius, ciuis & Episcopus (ita Onuphrius scribit) Herbipolensis, Protonotarius Apostolicus, Cardinalis creatus est à Pontifice Sixto IV, anno 1477, tit. S. Luciæ in silice. Quod de Episcopatu ille scribit non intelligo; sedit enim in Herbipolensi Cathedrâ eo tempore Rudolphus de Scherenberg, ab anno 1466 ad an. 1495. Suspicari tamen possumus, Apostolicè prouisum; sed à Capitulo & Statibus receptum non

non fuisse. Obijt Georgius anno 1482, Septemb. mense, obrutus Danubij aquis, dum paruâ lintre amnem traijcere cogitat. Fallitur sine dubio Hieronymus Platus, qui *cap. 34 de offic. & dignit. Cardinal.* ab Eugenio IV allectum scribit. Addit ibidem, omnibus ferè Cardinalibus contradicentibus, creatum fuisse, *quòd militaribus magis quàm Ecclesiasticis moribus esset.* Meminit huius Ederus *in Catalogo Viennensis Gymnasij Rectorum*; qui *Georg. Has* vocat, aitque Colonienſem Canonicum & V. Iuris Doctorem fuisse. Anno 1479 Patauij ad Danubium, in schismaticâ electione, Friderico Imp. cui acceptissimus fuit, adnitente, ad mitram Episcopalem vocatus fuit, vt Hundius *in Metropol. suâ* narrat: apud quem euentus istius contentionis, mors, & sepultura hominis videri possunt, *Tom. 1, pag. 325.*

30. *Melchior Episcopus Brixinensis.*

Brixinensis Ecclesia videtur præ alijs Germaniæ hac prærogatiuâ gaudere, vt à pluribus, quàm quæquam alia, Cardinalibus recta sit. Offert enim se rursus Melchior à Meckavv; & sequuntur adhuc plures, Clesius, Madrutius, Austrius. Huic Onuphrius cognomen dat *Copis*; nec scio quid illo velit, aut vnde habeat. Filius hic fuit Caspari à Meckavv Cubicularij & Consiliarij Maximiliani I Regis Romanorum, Coadiutor primùm, deinde Episcopus Brixinensis factus anno 1490. Ab Alexandro VI postea, nouem Cardinalium creatione, inter Purpuratos allectus est, S. Stephani titulo in monte Cœlio. Obijt Romæ, anno 1509, legatione pro Maximiliano I Imperatore fungens; vbi & sepultus est ad S. Mariam in *Arâ cæli*, siue *Capitolio*, Monasterio Fratrum S. Francisci de Obseruantiâ.

31. *Matthæus Episcopus Sedunensis.*

Sequuntur duo Cardinales synchroni, communi Matthæi prænomine, amboque rebus togâ sagoque fortiter ac prudenter gestis celeberrimi: quæ res Paulo Iouio occasio ac causa fuit duos inuicem confundendi, *lib. 5 Elog. pag. 162.* Illorum prior Valesianus patriâ fuit, Episcopus Sedunensis, cognomento *Scheiner.* Successit illic patruo suo Nicolao, viro primario; qui in nepotem suum, dum adhuc viueret, Valesianum vtriusque fori principatum transferri obtinuit: quod factum anno seculari 1500. Huius gesta probant verissimum esse Iouij de hoc homine Elogium: *Inter exactæ virtutis Imperatores potiùs, quàm inter Senatores numerandum.* Iulius Papa II, anno 1511, in honorem gentis Heluetiæ hunc Cardinalitio galero donauit; apud quem, vti & Maximilianum Imp. summè gratiosus fuit. qui etiam huius, apud populares suos rerum potientis, operâ res maximas effecerunt; eiectis non Mediolanensi tantùm Ducatu, sed omni Italiâ, nec simplici vice, potentissimis hostibus Gallis; quibus omni vitâ infestissimus fuit. Auditus est Franciscus Rex conqueri, auscultante, qui refert, Iouio, *plus sibi jumptûs & periculi Sedunensis facundiæ indomitam*

mitam vim, quàm tot legionum eius gentis cuſpides attuliſſe. De vitâ huius viri Henricus Pantaleon videri poteſt *lib.3 Illuſt.Germ. viror.pag.* 25; & Ioan. Stumpf. *Chron.Heluetici lib.11, fol.358*; Sanderus *in Elogijs Cardin. dec. 9:* ſed in primis Franciſc.Guicciardinus *in ſui temporis hiſtoriâ*: Factione Gallicâ apud Valeſios Duce *Georgio ſuper Saxo* (ita Pantaleon; Stumpf. auff der Sle vocat) tandem prævalente, Romam conceſſit; vbi Hadriano ſedente obijt anno 1522, 6 Non. Octobris: ſepultus ad *S. Mariam de animâ* nationis Germanicæ. Huic Eraſmus inſcripſit Paraphraſin Epiſtolarum SS.Iacobi & Iudæ.

32. *Matthæus Langius Archi-Epiſcopus Salisburgenſis.*

Matthæus Langus *de VVellenburg*, Patritius Auguſtanus, magni vir ingenij, ornamenta ſua Maximiliano I Cæſari debet, cuius Cameræ Secretarius fuit, indeque fortunæ ſuæ incrementa auſpicatus eſt. Factus poſtmodum Auguſtanus ac Saliſburgenſis Præpoſitus eſt, Gurcenſis deinde Epiſcopus, tandemque Cardinalis, & Saliſburgenſis Archi-Epiſcopus. Cardinalatum, cùm Maximiliani *in Italiâ locum tenens generalis* eſſet, Iulius II, vnà cum locupletiſſimis reditibus Eccleſiaſticis annuis, Matthæo obtulit; ſed adiectæ erant conditiones grauiores, quibus res in irritum tunc temporis cecidit. Recenſet nihilominus Onuphrius Langum inter iſtos, quos anno 1511, ſextâ creatione, Iulius Cardinales fecit; qui tamen ne quidem ſub Leone, qui ad Vrbem aduentanti Cardinalatûs inſignia obuiam miſerat, ijs vti voluit ante ingreſſum ſuũ. Sub Maximiliano, cuius *intimus ſummuſq; Conſiliarius* fuit, in Italiâ ac alibi res magnas & præclaras geſſit; de quibus Guicciardinus *in hiſtoriâ*, & Schrenkius *in Armamentario Oenipontano*, alijque conſulantur. Huius induſtriæ fideique præcipuè adſcribitur, celebris ille Imperatoris & duorũ Regum conuentus Viennenſis, quem deſcripsêre Cuſpinianus *in peculiari eâ de re opere*, & Bartholinus *in Hodæporico*, apud Freherum tomo 3 rer. German. Princeps fuit legationis Caroli V, in locum Maximiliani aui eligi petentis; cuius rei feliciter obtentæ ergò, Coronationis tempore, Electorali Collegio Imperatoris nomine ſolenni oratione Aquiſgrani gratias egit. Saliſburgenſem Archi-Epiſcopatum ab anno 1519 vſque 1540, per annos ferè 21 tenuit; duo enim menſes tantùm defuêre, eumque, poſt vnam atque alteram ſeditionem oppreſſam, quietè adminiſtrauit, fructum capiens in ſenili ætate laborum & moleſtiarum, quas annis melioribus ſuſtinuerat. Obijt dicti anni Martio menſe, ætatis 72; ſepultus in Cathedrali ante altare S.Rudberti.

33. *Guilielmus Croius, Archi-Epiſcopus Toletanus.*

Croiorum familia diù in Belgicâ in præſens vſque illuſtris & celebris, apicem felicitatis ſub Carolo V Imp. tenuiſſe videri poteſt, florente Guilielmo Croio *Ceruiæ Marchione*; cuius crebra in rebus Caroli mentio honorifica: nec reticet illum Hubertus Thomas *in vitâ Friderici Palatini*, cui paulò iniquiorem

quiorem fuisse non semel conqueritur. Nullibi tamen illustrius viri Elogium occurrit quàm apud Lipsium *lib.3 de Louanio, cap.10*, quod in vtriusque gratiam & hìc legi volo: *Ille est*, inquit, *qui pro Carolo V, posteà Augusto, in sacro fonte spopondit; ille, qui eiusdem iuuentæ rector & moderator datus; ille, qui Hispanijs præfuit; ille, qui pace & bello omnia apud magnum hunc Cæsarem fuit. Prudentiâ & virtute insignis, sed & felicitate notabilis, quòd ad extremum vitæ æquabili gratiâ vel auctoritate viguit: neque vel alienus liuor, aut Principis frigus, minuit vel detraxit. Itaq; magnas opes vel relictas à maioribus, vel partas à se habuit: sed neque ijs, neque potentiâ, nisi in publicum bonum vel ornatum vsus, hìc atque alibì egregia monumenta reliquit.* Hic igitur præcipuæ apud Dominum suum gratiæ & potentiæ, facilè & pro suis quæ voluit obtinuit: inter quos primo loco agnatum (prole enim ipsemet caruit) & cognominem eius numero, cui admodum adolescenti Cameracensem Episcopatum (hunc in fratrem *Robertum* postea resignauit) breuique pòst Cardinalatum, & ditissimum in Hispaniâ Toletanum Archi-Episcopatum impetrauit. Cardinalem illum Leo decimus creauit Diaconum D. Mariæ in Aquiro anno 1517; ac eodem anno, si Sandero in *Card. Elogijs* credimus, Toletana mitra eidem obtigit, & quidem, vt Raysius vult, ante Cardinalatum. Sed fuit ille caducus flos, & de stipulâ flamma. Wormatiensium enim Comitiorum tempore venatum profectus & generoso equo excussus, è venæ rupturâ obijt Wormatiæ, anno 1521, postrid. non. Ian. ætatis anno 23. Ossa in patriam relata, cóndita fuerunt in templo Cœlestinorum Heuerleano, prope Louanium. Extant ad hunc Epistolæ Erasmi, & vna eiusdem ad illum; quæ tamen Viuem auctorem sapit, etiam Erasmo id tectè innuente. Meruit tamen ob hanc ipsam Nomenclaturæ Cardinalium Tolosæ editæ inseri. Onuphrius hunc etiam ciuem Cameracensem facit, vocatque Guilielmum Iacobum. Iacobi autem prænomen habuit decessor eius in Cameracensi Sede & patruus.

34. *Hadrianus Episcopus Dertusēsis.*

De Hadriano Florentio *Vltraiectino*, ab eodem Leone X, anno 1517, Cardinale creato, nihil hìc addo illis, quæ suprà inter Pontifices Maximos dixi.

35. *Albertus Brandeburgensis Elector Moguntinus.*

Albertus *Marchio Brandeburgicus*, Archi-Episcopus Magdeburgensis ac Episcopus Halberstadensis, deinde in locum Vrielis à Gemmingen electus etiam Moguntinus Antistes & Elector anno 1514, à Leone X Cardinalis creatus est anno 1518; ac in Comitijs Augustanis eiusdem anni, quæ sub Maximiliano vltima sunt habita, quiq; Electores omnes interfuerunt, per Cardinales, Thomam Caietanum ac Matthæum Langum Episcopum Gurcensem, solenni cerimoniâ inauguratus fuit. Huius Principis res gestæ notiores sunt

quàm

quàm vt hîc pluribus referri debeant. Primarius auctor fuit Carolinæ electionis, publicæ pacis inter Catholicos & Protestantes primarius sequester; in vno hoc, sed citra culpam suam, infelix, quòd Indulgentiarum prædicatio, pro redemptione Archi-Episcopalis pallij eius, occasionem præbuerit funestissimo Lutherano incendio. Fundator fuit castri & Basilicæ Mauritianæ Hallæ Saxonicæ ad Salam, cui etiam reliquias B. Rabani Moguntini Archi-Episcopi intulit. Elegantissimam descriptionem eius præbet Georgius Sabinus in Itinerario suo. Mortuus est Albertus anno 1545, 8 Kal. Octob. in summâ Æde Moguntinâ ad primarij altaris basin sepultus.

36. *Erardus de Marcâ, Episcopus Leodiensis.*

Erardus de Marcâ, Episcopus *Leodiensis*, è præcipuis ac intimis Caroli V Consiliarijs, ab eodem Leone Cardinalis creatus est anno 1521, 5 Idus Aug. tit. S. Chrysogoni. Videndus de hoc Suffridus Petrus *apud Chapeauillium tom. 3 rer. Leodiens.* Anno 1533 constitutus est à Clemente VII Legatus de latere; quâ auctoritate suffultus Cleri exempti in diœcesi suâ reformationem aggressus est. Struxit magnificentissimum illud Episcopale palatium Leodij, quod etiam-nunc visitur. Obijt anno 1538; sepultus Leodij in medio chori, vbi viuus sibi ex ære Monumentum erexerat, hac memorabili inscriptione, quæ omnium mortalium animis insculpi digna est:

Decipimur votis, & tempore fallimur: atras
Mors ridet curas; anxia vita nihil.

Gratissimus hic fuit Carolo V Imp. qui præcipuum illum Consiliarium, id est, senatûs sanctioris præsidem tandem constituit.

37. *Guilielmus Enckeuort, Episcopus Dertusensis & Vltraiectinus.*

Vnicum Cardinalem Hadrianus sextus nominauit Guilielmum Enckefort Syluæducensem, (ita Svveertius, Sanderus perperam Traiectensem ad Mosam vocat) familiarem suum, conferens illi titulum, quem ipse habuerat, SS. Ioannis & Pauli, an. 1523, vndecim ante mortem diebus. Resignauit eidem Dertusensem Episcopatum; & Datarium iam antè constituerat. Accessit deinde Protectura Germaniæ, & Clementis VII beneficio Episcopatus Vltraiectinus, quem per Procuratorem absens rexit. Erexit Hadriano Benefactori suo, egregium & sumptuosum è marmore monumentum, in B. Mariæ Teutonicorum Ecclesiâ. Carolum V Bononiæ à Clemente VII coronatum inunxit. Mortuus est anno 1534, ætatis 70; in eodem quo Hadrianum condiderat, templo sepultus S. Mariæ Germanorum.

38. *Bernardus Clesius Episcopus Tridentinus.*

Ferdinandi I Imp. Consiliarius intimus & magnus Cancellarius fuit Bernardus Clesius, siue de Glös, Baro Tyrolensis, Tridentinus Episcopus, & Brixinensis Administrator; qui anno 1529 à Clemente VII ad sublimiorem purpuræ honorem tit. S. Stephani in Cœlio monte vocatus est. Tenuit Tridentinã Sedem annis 25, Brixinensem non nisi mensibus aliquot:

eodem

eodem enim anno 1539, quo electus Ianuario mense fuerat, Iulio obijt, ætatis 54, mense 4. Tridenti, quò Brixinâ reuectum corpus erat, in Cathedrali terræ commissum est. Obijt autem apoplexiâ, dum inter cænandum melopeponē libat. Hic struxit Tridenti è lapide, nouum dictum, verè regale palatium; castrum vetus restaurauit; ac Episcopatum, vetustate ac temporum iniuriâ propemodum labentem, in integrum restituit. Symbolum ipsi fuit VNITAS; quod cum septem spiculorum emblemate, omnibus ferè saxis columnisque prædictæ arcis nouæ insculpi curauit. Septem fratres ad vnum omnes violentâ morte amisisse fertur.

39. *Nicolaus à Schönberg, Archi-Episcopus Capuanus.*

Apud Clementem VII interioris potentiæ principatum tenuerunt *Ioannes Matthæus Gibertus* Episcopus Veronensis, & Nicolaus à Schön-berg equestri apud Misnicos loco natus, ordin. Prædic. religiosus & SS. Theologiæ Magister. Ex illis posteriorem Cardinalium Collegio adscripsit Paulus III, anno 1535, tit. S. Sixti. Capuanum Archi-Episcopatum à Clemente, ni fallor, obtinuerat. Videndus præter alios de hoc Guicciardinus. Mortuus est Romæ anno 1537, 5 Id. Septemb. sepultus supra Mineruam in Æde B. Mariæ Virg. quæ est fratrum S. Dominici.

40. *Christophorus Madrutius, Episcopus Tridentinus.*

Gens *Madrutia*, vt olim Romæ Curionum familia tres continuâ serie Oratores, ita maiori felicitate quatuor dedit proximè sibi succedentes Tridentinos Episcopos & Romanæ Ecclesiæ Cardinales, *Christophorū, Ludouicum, Carolum, & Emmanuelem.* Christophorus, Ioannis Gaudentij filius, eius qui primus suæ familiæ à Carolo V creatus est Liber Baro, (ita Reusnerus in Opere Genealog. alij volunt è Baronis gradu ad Comitiuam dignitatem conscendisse) ob nauatam strenuam operam contra Gallos Papiensi prælio; Tridenti Præsul electus fuit anno 1539, & Brixinensis anno 1542; à Paulo III deinde, anno 1544, Cardinalis factus tit. S. Cæsarei in Palatio. Fuit Caroli V apud Pontificem Legatus anno 1555. postmodum à Philippo Rege Mediolano præfectus fuit; cui maxima cum laude præfuit. Obijt Tibure senex, ibidem iuxta Cardinalem Estensem sepultus. Primarij huius viri sequens mihi elogium suppeditauit vir doctus & amicus è nostratibus, qui multis annis in Madrutianâ Cardinalitiâ aulâ ab epistolis secretioribus fuit, cui etiam quæ de Clesio Cardinale retuli, quæque de reliquis Madrutiæ gentis Purpuratis relaturus sum, magnam partem debeo: Vir rerum gestarum gloriâ celeberrimus, quique cum omnibus Germaniæ Principibus summam coluit amicitiam, dictusque est: Il gran Cardinal di Trento. Numerosissimam habuit familiâ, & in illâ Comitum, Baronum, & aliorum Equestris ordinis adolescentiū copiosam manum, quos ad maxima quæque obeunda instituit curauit, & magnam partem promouit. Ter in Hispaniam partim suâ sponte, partim Maximi

Imperat. Carolivocatu arduis ex causis profectus est; in componendis Principum dissidijs, & conciliandis inter eosdem affinitatibus felicissimæ dexteritatis.

Eodem anno, sed non eadem Cardinalium allectione, Purpuratis adscriptus est **Otho Truchsius**, *Baro de VValpurg*, Episcopus Augustanus; vbi Christophoro Stadioni successit. Is Bononiæ Iuri operam dedit; cuius Hugonem Bon-Compagnum, postea in Papatu Gregorium XIII dictum, Magistrum habuit. Audiuit Papiæ Alciatum; ne quid de Tubingâ, Dolâ, Patauio dicamus. Fuit priùs Decanus Tridentinus, ac Pauli III Cubicularius; qui anno 1543 hunc Nuntium in Germaniam misit ad Conuentum Noribergensem. sequenti, vt dixi, anno Cardinalis, & qui dem absens, factus est, accepto Wormatiæ in generali Conuentu galero. Plurimos exantlauit in Germaniâ pro Catholicâ fide labores, plurimas sustinuit molestias, maximo laborans eo nomine, apud Protestantes, quos vocamus, odio. Conditor hic est Academiæ Dilinganæ ad Danubium, & Collegij ibidem; in quo trecenti aliquando alumni numerati sunt. Tenuit præter Augustanam Cathedram Præposituras Elvvangensem & Herbipolensem; ac in locum Cardinalis Compostellani, anno 1558 Protector Germaniæ datus est. Reliqua apud Sanderum, in Elogijs Cardinalium, aliosque videri possunt. Obijt Romæ anno 1573, sepultus in B. Virginis Germanorum templo. Huius ex fratre nepos & alumnus fuit, Gebhardus Colonienſis Elector; cuius turbæ, in diœcesi illâ excitatæ, plus satis notæ sunt; nec respondit ille ad vltimum sanctissimæ nutritoris patruique sui disciplinæ.

41. *Otto Truchsius, Episcopus Augustanus.*

Doctissimis sui temporis Theologis accenseri meruit **Ioannes Gropperus**, è Susato, Westphaliæ præcipuo & maximo post Monasterium oppido, ortus; quod parens, illic consulatu functus, hæresibus ingraueſcentibus reliquit, & Coloniam cum familiâ migrauit, exilio suo felix; vtpote qui quatuor filios, Coloniæ ac alibi studijs felicissimè excultos, Doctores reliquerit. Summæ ædis illic Ioannes Canonicus fuit; *pro fide præclara multa scripsit, egit, disputauit; Hermanno Archi-Episcopo nouatoribus fauenti acriter restitit; Bucerum, cuius operâ is sectarium virus introducere illic satagebat, solidissimè refellit: quamuis omni ex parte declinare & euadere non potuerit insidiatricem magnorum ingeniorum, Calumniâ. Meritorum igitur & virtutis ergò nil tale cogitans à Paulo IV galero anno 1555 donatur, cùm frustra se modestiæ causâ excusâsset. Romam tamen veniens contradictiones & obloquia passus est, & ad plenam dignitatis collatæ possessionem non peruenit, breui illic mortuus anno 1559; *ac ibidē sepultus ad pedes Pontificis Hadriani VI.

42. *Ioannes Gropperus, Canonicus Colonienſis.*

* *Scholasticus præterea Gereonis & Præpos. Bonnenſ.*

* *Surius in cōm. p. 535.*

ni VI. Videantur de hoc Cornelius Callidius, Sanderus, Merlæus, Surius, alij. Vtriusque Iuris, pariterque Theologiæ Doctor fuit.

43. *Gerhardus à Grosbeck. Episcopus Leodiensis.*

Gerhardus à Grosbeck Leodiensis Episcopus, Princeps cordatus, prudens, patriæ & fidei studiosissimus & intrepidus propugnator, per initia Belgicorum motuum, difficillimis temporibus, laudatissimè suis præfuit, ijsque reliquisque virtutibus suis meruit Cardinalium Collegio aggregari à Gregorio XIII summo Pontifice, anno 1578. sed nouis honoribus non diù gauisus, obijt sub finem anni 1580. *Sweert. in Chron.* Excesserat annũ 63 ætatis; sedecim Leodiensibus præfuerat: nam ineunte anno 1564, Roberto de Bergis successerat. De tempore obitûs alij paulò aliter.

44. *Ludouicus Madrutius Episcopus Tridentin. *tit S. Laur in Lucinâ.*

Ludouicus Madrutius, Christophori è fratre nepos, anno 1578, patruo in Tridentinâ Ecclesiâ regendâ successit; cui in Brixinensi Sede substituebatur nepos alius è sorore, Ioan. Thomas Liber Baro à Spaur & Valerio. Ludouicus hic, Cardinalis à Gregorio XIII, ni fallor, creatus est; *qui anno 1582 ad Rudolphi Imp. prima Comitia Ratisbonensia eum misit de Latere Legatũ. Alteri deinde eod. loco habito an 1594. Ordinum Imperij Conuentui, in eadẽ qualitate Clem. VIII mittente interfuit, tantæ Romæ ac alibi existimationis, vt summo sacerdotio dignissimus iudicatus sit: quam dignitatẽ tamen magis meruisse, quàm ambijsse vel optâsse laudatur. Magnæ huic simultates fuêre cum Ferdinando Austriaco, Imp. Ferdinandi filio, quæ Tridenti nouum etiam, contra Principem & Antistitem suum, secum traxêre motum. Quatuordecim igitur annos continuos ab Episcopatu suo, Romæ agens, abfuit, sequestribus interim regiminis curam sustinentibus; donec tandem Ferdinando mortuo res omnis Rudolphi II Imp. auctoritate componeretur.

45. *Antonius Perenottus. Archi-Episcopus Mechlinensis & Vesont.*

Antonium Perenottum Vesontione, Imperiali in superiori Burgundiâ vrbe, natum, iure videor Germanis Cardinalibus accensere, non vnâ de causâ. Nam & è Germanici Imperij prouinciâ & ciuitate oriundus; in Germaniâ Belgioque diù multumque versatus; Germani Imperatoris (Caroli V) supremus Cancellarius multis annis fuit, eaque occasione Germanicarum rerum, quarum peritissimus fuit, curam sustinuit; Germanicam denique linguam exactissimè nouit, ac elegantissimè locutus est. De eo pluribus hîc non dicam, quòd inter Cancellarios iam memorari debuerit. Creatus fuit à Pio IV Pont. Maximo. Post Belgicam & Neapolitanum regnum pro-Rege administratum, obijt septuagenarius in Hispaniâ, sub Sixto V, anno 1586. Atrebatensem & Vesontinam Cathedras tenuit; ac præterea primus fuit in Belgio Mechlinienſis Archi-Episcopus. *In omnibus*, ait Sanderus, *Cæsaris expeditionibus comes*

comes & assecla; in quibus non semel, nec indecenter, tiaram, epomidem, pedum, sacrumq; codicem galeâ, thorace, gladio, vmbone, dexter vtrobiq;, commutauit. Eadem laus Pompeio Columnæ Cardinali à Iouio datur. Miræus in Belgicis Annalibus hunc vocat seculi sui Mæcenatem: vti enim ipsemet doctissimus fuit, ita doctos viros mirificè fouit, eorumque contubernio vnicè delectatus fuit, Lipsio, Pighio, alijsque eius rei testibus.

46. *Marcus Sitticus ab Altaemps, Episcopus Constantiensis.*

Marcus Sitticus è Baronibus de Hohenembs, Pij IV Papæ sorore genitus, relictis Martialibus exercitijs, quibus iuuenis cum laude vacauerat, ab auunculo inter Patres purpuratos adscriptus est, dictus Cardinalis ab Altaemps, eoque Pontifice, vnà cum S. Carolo Borromæo consobrino suo, pro antiquo illius curiæ more, vti nepos Papæ, rerum summæ intendit, ac Tridentinæ Synodi ad aliquod tempus cum ceteris Præses fuit. Præter reliquas dignitates Ecclesiasticas, Constantiensi etiam Ecclesiæ aliquot annis Episcopus præfuit. Ex huius filio, matre Genuensi, matronâ nobili, ante susceptum Clericatum nato, descendunt Duces Altempsij & Galesij Principes, inter Romanæ vrbis Barones illustri satis loco. Struxit hic idem Cardinalis Romæ prope S. Apollinarem magnificum à fundamentis palatium, cuius præcipua ornamenta sunt Sacellum, S. Aniceti Papæ reliquijs venerabile, & Bibliotheca omnis generis librorum copiâ instructissima.

47. *Andreas Austriacus, Constantiensis & Brixinensis Episcopus.*

Andreas Austriacus, Ferdinandi è Philippinâ Velserâ filius primogenitus, Ferdinandi Imp. nepos, creatus est Diaconus Cardinalis tit. S. Mariæ Nouæ an. 1576, à Gregorio XIII, decimo-octauo ætat. an. (*Stemmata Anton. Albizij.*) ac præterea Constantiensis & Brixinensis Episcopus, Abbasque Richenouiæ & Murbachensis fuit. Belgium per agnati Principis patruelis Alberti absentiam aliquamdiu non infeliciter rexit; quo tempore firmissimum illud S. Andreæ propugnaculum in insulâ Bomelensi extruxit, quod Hispanorum proditione breui pòst in Confœderatorum manus venit. Anno seculari Romam deuotionis ergò visitans obiterque Neapolim excurrens, postquam inde in Vrbem redijt, febre ardenti obijt, Idib. Nouemb. anno 1600; sepultus ibidem in tituli sui Ecclesiâ. Videatur de hoc Schrenckius *in Oenipontano Armamentario.*

48. *Albertus Austriacus, Archi-Episcopus Toletanus.*

Albertus Maximiliani II Imp. filius, Archi-Episcopus Toletanus, Cardinalis creatus fuit à Sixto V. Hic Ecclesiasticis dignitatibus se postea abdicans, anno 1599, duxit Isabellam Claram Eugeniam Hispaniarum Infantem, Philippi II Regis filiam, cum quâ Belgium, quod à socero in dotem acceperat, multis annis, belli & induciarum tempore, laudatissimè rexit, non minori pietatis quàm prudentiæ, mansuetudinis, ac magnanimitatis famâ. Eius

us gestis Chronicorum & Historiarum libri pleni sunt; nec hîc è dignitate perstringi possunt. Obijt vitæ satur & cælestium desiderij plenus anno 1621, 13 Iulij; sepultus Bruxellis. Funebri oratione illum laudauit Aubertus Miræus, & alij.

49. *Franciscus à Ditrichstein, Episcopus Olomucensis.*

Franciscus à Ditrichstein, Episcopus Olomucensis, Rudolphi II Imp. commendatione, à Clemente VIII Collegio Purpuratorum insertus est. Pro restituendâ & propagandâ Catholicâ fide in Morauiâ viciniſque locis, plurimùm diuque sollicitus fuit; multaque & magna eum in finem haud infeliciter molitus est, & perfecit. Varijs functus fuit pro Sede Apostolicâ in Germaniâ, ac præcipuè Austriacis prouincijs, legationibus; quorum vltimam obiens anno 1631, Ferdinandi III Imp. & Mariæ Augustæ, Coniugis eius, matrimonio, inter absentes in Hispaniâ iam contracto, vtrisque contrahentium præsentibus, Viennæ in Augustinianorum Ecclesiâ Apostolico nomine benedixit. Obijt anno 1636, ac post proximi Successoris breue regimen, Cathedræ eius hoc tempore feliciter præest Serenissimus Archi-Dux Leopoldus Wilhelmus Austriacus, Imperatoris Ferdinandi III germanus, secundi filius, Halberstadiensis, Argentinensis & Passauiensis Episcopus.

50. *Philippus Bauarus Episcopus Ratisbonensis.*

Felix prolibus Bauarorum Dux Guilielmus, sanctissimæ conuersationis, & rarissimi exempli Princeps; inter masculæ stirpis liberos secundo-genitum habuit Philippum, Episcopum Ratisbonensem & S. Rom. Ecclesiæ Cardinalem. Episcopus admodum puer, & ferè in cunis adhuc vagiens, electus fuit, grauibus de causis, & ipsimet Summo Pontifici Gregorio XIII probatis, anno Chr. 1579: nec ante annum 1597 ipsemet ad regimen admissus est, Feliciano Episcopo Scalensi Apostolico Nuntio, alijsque * interim administrationis curam sustinentibus. Cardinalatum Clemens VIII haud longo ante obitum Philippi tempore adiecit. Obijt enim anno 1598, 18 Maij, ætatis anno 22, in arce Bauaricâ Dachau, sepultus Monachij, in Collegiatâ B. MARIÆ Virginis Ecclesiâ, Maiorum suorum Conditorio: vbi Serenissimus Maximilianus Bauariæ Dux & S. Imp. Princeps Elector Ludouico Bauaro Imp. Augusto, tritaui sui proauo, magnificentissimæ elegantiæ, si quod in omni Germaniâ aliud, struxit Mausoleum. Idem Serenissimus Elector, exemplar laudati Principis, & seculi nostri decus, memoriæ huius fratris sui, immaturâ morte prærepti, spectabile erexit in mediâ naui, vt vocant, Cathedralis Ratisbonensis Ecclesiæ ex ære marmoreque Cenotaphium artificiosi operis. Gevvoldinum Philippi hoc Elogium est: *Fuisse Principem summæ expectationis, & verè naturæ miraculum; siue sapientia eius spectetur rerum tam diuinarum quàm humanarum, siue humanitas, mansuetudo, clementia, &c.*

* *Iacobus Müller Theol. D. Administrator Ratisb. dicitur in Instrum. Coadiutoriæ Berchtesgad. an. 1596: Metrop. 2, 198.*

51. *Carolus Madrucius, Episcopus Tridentinus.*

Carolus Gaudentius Madrucius, tertius suæ familiæ continuatâ successione Tridentinus Episcopus, à Paulo V Pontif. Max. in sacrum Collegium allectus fuit Presbyter Cardinalis tit. S. Thomæ in Parione, anno 1603. Natus hic matre Sabaudâ, Comitissâ in Chialandt & Boffremont, Gallico potiùs quàm Germanico ingenio fuisse traditur; cumque Italis, & maximè Venetis, vicinis suis, amicissimus esset, Teutonicos non admodum amauit, magis tamen prauis quorundam suggestionibus, quàm propriâ culpâ, vtpote qui naturâ mirè bonus esset. Passus autem eo nomine non leuia fuit à Maximiliano Austriaco, Rudolphi Imp. fratre. Comitijs Ratisbonensibus anni 1613, de Latere Legatus interfuit, mortuus ante decennium plus minùs.

52. *Melchior Clesselius, Episcopus Viennensis.*

Melchior Clesselius, ciuis & Episcopus Viennensis, ac Neostadianus præterea Antistes; Matthiâ Imp. petente, à Paulo V galerum consecutus est. Fuit apud dictum Cæsarem, vtpote Præses & director Consilij sanctioris, in præcipuâ gratiâ & auctoritate magnâ; qua cùm abusus fuisse apud agnatos Principes suspicionem incurrisset, illorum iussu anno 1618 comprehensus & custodiæ datus est. Traditus deinde in summi Pontificis, viri purpurati capturam non satis æquo ferentis animo, manus, Romam deductus fuit; vbi in pristinâ libertate aliquot absoluens annos, Viennam deinde redijt ad Episcopalem curam, ibique, dum diæta Ratisbonensis agitur, anno 1630, autumnali tempore mundo valedixit, dato ipsi in Viennensis Ecclesiæ regimine, successore Reuerendissimo ac Illustrissimo Domino, Antonio Wolfradio Agrippinate, Abbate in Crembsmünster, ac Cameræ rationum olim magnæ laudis Præside, è primarijs Cæs. Maiest. Ferdinandi II glorioſissimæ memoriæ Consiliarijs, & Ecclesiasticæ dignitatis prærogatiuâ omnium primo. Is quoque hoc anno 1639, 1 April. eundem tenens apud Augustæ Maiestatis successorem filium honoris gradum, ad meliorem vitam transijt, cùm vix mensibus tribus magnificum Episcopale palatium, quod magnis impensis à fundamento erexerat, inhabitare cœpisset, ac certus iam tunc Cardinalitij galeri, indies expectaret auctæ dignitatis lætum nuntium.

53. *Itelius Fridericus Zolleranus, Episcopus Osnabrugensis.*

Itelium Fridericum Comitem Zolleranum, Colonienſem, Salisburgenſem, Argentinenſem, & Magdeburgenſem, &c. Præpositū, &c. Ferdinando II Imp. ac Maximiliano Bauaro alijsque intercedentibus, Paulus V, tit. S. Laurentij in Palispernâ Presbyterum Cardinalem esse iussit, anno 1620. Qui tamen honos, non magis maximorum illorum Principum precibus, quàm meritissimis viri virtutibus datus, videri potest. Singulari enim humanitate, & mitissimi animi egregiâ moderatione, omnium amorem sibi con-

conciliârat. Ingenium eius excellens, præclarissimè excultum, optimisque artibus ac disciplinis, tum rerum experientiâ instructissimum, maximis illum quibusque negotijs parem fecerat: nec facilè repertus est è nostratibus rerum Curiæ & Imperij magis callens aut studiosior. Postquam Romæ annis aliquot Cardinalitia munia cum laude & multorum admiratione obiuisset, eiusq; qui hodie Catholicæ Eccl. præsidet, Vrbani VIII electioni interfuisset, dum illic hæret, à Collegio Canonicorum Ecclesiæ Osnabargensis Episcopus postulatus est absens; obtentisq; facili negotio cõfirmatione & regalibus, residentiam, quam vocamus, faciendi ergò, anno 1623 ad Ecclesiam suam profectus, ac collapsam fidem Catholicam in diœcesi, quantùm tempora permitterent, restabilire, vnicè satisque fructuosè studens, non admodum diù superuixit; morte laudatissimo Præsuli, in medio ardore Germanici Danicique belli, ineuitabiles inijciente manus anno 1625. Veris multorum patriam & virtutes pijssimi Antistitis amantium lacrymis defletus est; sepultus in Cathedrali Ecclesiâ suâ ante altare summum.

54. *Emmanuel Madrucius Episcopus Tridentinus.*

Emmanuel Madrucius Renati Emmanuelis fratris Ludouici Cardinalis, qui sub Parmensi Duce in Belgio militauit, ac in Gallijs postmodum obijt, filius, Monachij in Bauariâ aliquamdiu literis operam dedit, assumptusque à patruo in Coadiutorem Tridentinæ Cathedræ, Cardinalatûs etiam honorem, eodem adhuc viuente, ab Vrbano VIII adeptus est. Hic Societatis IESV Patres Trîdentum primus vocauit, agitque ætatis annum, dum hæc scribo, 42 plus minùs.

55. *Ernestus ab Harrach Archi-Episcopus Pragensis.*

Ventum dênique est ad Ernestum Comitem de Harrach, Caroli aulæ Cæsareæ magni, cùm viueret, Magistri siue Præfecti filium; qui ex alumno Germanici apud Romanos Collegij, ad Pragensem Archi-Episcopatum, & Cardinalitiam dignitatem, Papali & Imperatoriâ beneficentiâ ac operâ euectus, feliciter hoc tempore sacræ functionis stationem suam gnauiterque obit. Hunc anno 1620, etiam-dum in dicto agentem Collegio, corã summo Pontifice & Collegio Cardinalium, in publico ac solenni Consistorio, habito in aulâ regiâ Vaticani Palatij, perorantem audiui, quo tempore Paulus Princeps Sabellus, Cæsareus Orator, Ferdinandi II Imp nouiter electi nomine, consuetarum cerimoniarum solennia apud Paulum V Pontif. Max. obibat.

CAPVT

CAPVT TERTIVM,

DE OFFICIIS SECVLARIVM ELECTORVM, ET DE ORIGINE Electoralis Collegij.

QVoniam in superiori Tractatu, quæ haberi potuerunt dicta sunt, de Archi-Cancellariatibus Sacri Romani Imperij, Ecclesiasticorum nempe Electorum officijs & dignitatibus: non abs re, neque à præsenti proposito alienum fuerit, nonnulla etiam inquirere, & in medium afferre, de officijs Electorum secularium, quæ sunt, vt publicè nouimus, Archi-pincernatus Regis Bohemiæ, Archi-dapiferatus Comitis Palatini ad Rhenum ac Ducis Bauariæ, Archi-marscallatus Ducis Saxoniæ, denique Archi-Camerariatus Marchionis Brandeburgici. Præterquam enim, quòd eiusmodi rerum cognitio & tractatio per se iucunda est, non parùm etiam luminis affert ad elucidandam illam, quæ Politicorum nostrorum non parùm hucusque fatigauit, ac deinceps exercebit ingenia, de origine Septem-viralis in S. Romano Imperio Principum Electorum Collegij. Ac tantò magis ad rem facit, hæc laicorum Principum ministeria simul ad examen vocare, quòd hæc præmissis, illaque his vicissim collata, & simultaneâ trutinatione expensa, se inuicem egregiè illustrent, vti è sequentibus aliquâ ex parte (ita spero) patebit. Sub Othonum imperio, ac sub sequentibus Cæsaribus, ad Henricum vsque quintum, Colonienſem; ad Fridericum autem secundum, Treuerensem Archi-Episcopos necdum Archi-Cancellariatus suos obtinuisse, superiùs puto sufficienter ostensum esse: idemque de officijs secularibus, de quibus hìc tractare cõstitui, obtinere puto: nempe nec illa à prætensæ illius sub tertio Othone Electorum institutionis exordio, sed longo tempore pòst, ad illas, à quibus per duo ad minimum secula hodie possidentur, familias, vel illarum prædecessores magnâ ex parte peruenisse. Nam satis ex historijs constat, quod etiam alijs ante me obseruatum est, antiquis illis temporibus, quibus penes Saxones rerum summa consistebat, primaria ista officia necdum certis familijs, prout hodie ab aliquot seculis obtinet, annexa & hereditario iure concessa fuisse.

fuisse. Refert Witikindus Saxo, & ex illo Ioan. Paulus Windeck, *de Elect. r. Imperij cap.14*; ac Melchior Goldastus *lib.3 de iuribus regni Bohem. cap.8*, in Othonis I Imperatoris factâ anno 936 inauguratione & coronatione, hos quatuor sequentes Principes ista suprema munia siue officia aulica obiuisse hac ratione, vt Giselberto Duci Lotharingiæ mandata fuerit Aulæ præfectura, (rectiùs illum vocari Cameræ Præfectum ait citato loco Goldastus, cuius sententiam probo) Eberhardo præpotenti Franconiæ Comiti Dapiferatus commissus fuerit; Hermannus Sueuiæ Dux Pincernam egerit; Arnoldus Bauariæ Dux Marescballatum obiuerit. Prædicti Corbeiensis Witikindi hac de re verba ista sunt: *Lotharíorum Dux Giselbertus omnia procurabat, Eberhardus mensæ præerat, Hermannus Franco Pincernis, Arnoldus equestri ordini locandisq; Castris præerat.* Hactenus ille: discrepat nonnihil de Eberhardi personâ à Windeccio; de Hermanno verò ab ipsomet Witikindo Goldastus: quod hic latiùs non tracto, nec facit ad rem nostram. Deinde Otho tertius celebrans festum Paschatis Quedlinburgi, instituto illic regio conuiuio, sequenti modo quatuor primarijs Ducibus summa Palatij Imperialis secularia officia distribuit. Bauariæ Dux, (Henricus) Dapifer esse iussus est; Conradus Dux Franconiæ, Camerarius; Enzelinus, siue Hezilo, Palatinus, Pincerna; Bernardus, siue Benno, Dux Saxoniæ, Marescballus, siue Stabularius. Ita ex Dithmari lib.4 alij referunt; cuius verba adiungo: *Celebrata prima Paschatis solennitas in Quindilinborg à Rege, vbi quatuor ministrabant Duces, Henricus ad Mensam, Conradus ad Cameram, Hezilo ad Cellarium, Bernardus Equis præfuit.* Ex illo tempore vult Goldastus penes Bauariæ Duces Dapiferatum mansisse: quod vti refellere non constitui, ita maiori fiduciâ recipi posset, si non solis coniecturis niteretur. Idem enim pari ratione de Saxonico Marescballatu dici posset; cui tamen nonnulla obstare videntur, de quibus statim dicam. Volunt præterea idem Goldastus, Gevvoldus, Windeckius, alijque, eundem Othonem Imperatorem, instituto vnà cum Gregorio quinto Papâ Septem-virali Collegio, officia illa secularia, eò vsque temporanea & ambulatoria, quatuor laicis Electoribus deinceps hereditaria & perpetua fecisse. cuius assertionis subsistentia & veritas dependet ab illâ ipsâ plurimis mediæ ætatis Scriptoribus memoratâ & proditâ opinione, erecti abs Gregorio & Othone Electoralis Collegij; de quâ postmodum aliqua proferam quæ pariter seruire poterunt, ad instituendum examen & inquisitionem de prædictis officijs. De illis autem hic obiter quæ sequuntur adiungo, eaque ad duo capita reuoco. 1. Quo iure officia illa antiquitus censeri consueuerint? 2. Quæ obstare videantur, quò minùs videri possint ab Othone III secularium Electorum maioribus & prædecessoribus hereditario nexu appropriata esse? Quoad prius dubius sum, ipsam originem quod attinet,

net, an talia officia aulica per ipsos regni primores & suprema capita obeundi, Germanicum commentum & inuentum sit, quodque sub Othonibus omnium primò introduci & vsurpari cœperit; an verò à Francis, aut Longobardis maiores nostri acceperint. Certè à Romanis nequaquam manauit; quamuis Adrianus & Constantinus Impp. Palatina officia multùm immutârint, vltraque veterem morem splendoris plurimum illis adiecerint. Namque priùs per libertos præstari solita, Hadrianus postmodum per Equites Romanos obiri voluit; Constantinus autem ad multò honoratiores pleraque deinceps transtulit. Sed nec à Constantinopolitanis Imperatoribus mos iste mutuatus videtur, licet à Græcorum luxu & fastu quædam ad nos traducta fuerint; inter quæ numero Aureas Bullas Imperialium Diplomatum, Cæsareum paludamentum, aliaque eius generis. Nihil tamen istâ de re temere pro certo definiuerim; sed altiori perscrutationi reseruare satius putârim. Tantò magis tamen pro mero Teutonico inuento hæc Archi-Officiorum solennia reputo; quòd Bodinus, mordax & iniquus in plerisque Germanorum censor, sine dubio parciùs hasce cerimonias & magnificentiam arrosurus fuisset, si aliunde potiùs mutuatas, ac præsertim à popularibus suis ad nos profectas & propagatas, quàm domi apud nos natas credidisset. Videatur is *lib. 1 de repub. cap. 9*. Præterea autem valdè videtur verisimile, vsque adeò antiquissimis illis temporibus temporaria fuisse prædicta officia, vt ne quidem ad vitam, certis Principum personis credita & assignata fuerint; sed quotiescunque illa in solennibus Conuentibus Imperialibus, quas Curias nostri Scriptores vocant, obiri debuerint; de nouo è præsentium numero honoratioribus mandari consueuerint. Huius opinationis hoc fundamentum habeo, quòd rarissimè singulis Cæsarum, quas vocaui, Curijs omnes in vniuersum maiorum gentium primores magnatesque interfuisse reperiantur; sed plerumque ex illis modò hi, modò alij, pro locorum diuersitate & variorum impedimentorum superuentu, abfuerint. Hinc vt singulare, & ferè eò vsque inauditum narrant de Conuentu Moguntino, in quo Henricus IV Imperio priuatus, & filius homonymus in locum eius suffectus fuit, ex omni Principum numero, non nisi vnum Saxoniæ Ducem Magnum, ob grauioris ætatis infirmitatem, desideratum esse. Licèt igitur ita communiter euenisse certum sit, non reperitur tamen alicubi annotatum, loco huius vel illius absentis, alios in iobeundis solennibus illis Palatinis officijs vicariam operam præstitisse; quod aliàs, si diuersimodè id seruare moris fuisset, vix præcaueri potuisset. Verùm hoc, vti obscurius & abstrusius, facilè in medio relinquo. Vsque adeò autem verum est, per honoratissimos quoque, & omnino præsentium in Aulâ Principum primos, officia illa administrari esse solita; vt nec ipsimet Germanico Imperio

obnoxij

obnoxij Reges præteriti fuerint. quod vt hodieque in Bohemo obtinet, ita olim in Polono, Dano, Vngaro idem obseruatum fuisse, per sequentia ex aliquâ parte patebit, ex reliquâ valdè verisimile est. Alterum quod attinet de tempore cœptæ hereditariæ detentionis caput, vix mihi verisimile fit, illud cum tertij Othonis Imperio aliquam communionem habere: quod quò magis credam, sequentia me inducunt. Ac primò si verius & certius est, vti Auentinus, Onuphrius & Baronius censent, egoque hisce incomparabilibus antiquariæ scientiæ & historicæ eruditionis Triumuiris facilè assentior, Septemviros non Othonis æuo, sed posteriori exortos esse, vti post pauca examinare decretum habeo; ansam aliquam non video, cur coniectare velimus, sub Othone magis quàm postmodum, seculares Electores hereditariâ proprietate officiorum suorum possessores esse factos. Scribit de Lothario Imperatore Otho Frising. *lib. 7, cap. 19,* quòd Regem Daciæ (Daniæ) in signum subiectionis, ad decorem Imperialis reuerentiæ, gladium sibi sub coronâ deferre fecerit. Functus igitur est Rex ille Archimarschallatûs officio: quod fieri non poterat aut debebat, si Saxoniæ Dux iam tunc hereditarius Archi-Mareschallus, à cētum & quadraginta circiter annis, cōstitutus erat. De Frederici primi Imp. Curiâ, in campis, haud procul Moguntiâ, an. 1182 celebratâ, ita scribit inter alia, Arnoldus Lubecensis, lib. 3, cap. 9: *Officium Dapiferi, eu Pincernæ, Camerarij seu Marscalci, non nisi Reges, vel Duces, aut Marchiones administrabant.* An ad solum tunc nouiter creatum Bohemiæ Regem arctari debeat, quod Arnoldus de REGIBVS ait, dispiciant lectores iudicioſi. Hactenus sanè hic locus omnia alia mihi indicare videtur, quàm fuisse eo tempore, in suâ quâque familiâ, stata ac firma ista, vt ita vocem, Archi-officia Imperialia. Accedit prædictis, quòd non facilis repertu sit, siue in documentis ac diplomatibus antiquis, siue apud Historicos aliósve Scriptores, illiusmodi Officiatorum mentio, extra casum solemnium, quales retuli, Curiarum, ante Friderici secundi Imperium: vnde probabile argumentum sumitur, antiquis illis seculis necdum apud quenquam illa fixas ac immotas sedes statuisse; sed potiùs, vti sub Othonibus, ita etiam sub Henricis alijsque sequentibus longo tempore Imperatoribus, motoriam, vt in prouerbio est, egisse fabulam. Fateor tamen paulò aliter hac de re sentiendum fore, si certum & exploratum esset, quod de Bambergensi Ecclesiâ diuersi referunt, nimirum ex primæuâ illius Ecclesiæ factâ per S. Henricum fundatione, secularia ista Electorum laicorum officia, ab illius loci Episcopo in feudum recognosci, & per certos Franconici Ducatûs Nobiles substitutorio & vicario nomine deseruiri. Ac certè vel ex illius Ecclesiæ tabulario hæc differentia tolli, & obscuritas illu-

ſtrari, vel nulliunde poteſt. Satis tamen mirum videatur, tanto tempore latitare & ſupprimi, ſi quid illic ad rem faciens ſuperſit, & non in apertum protrahi luceque donari. Variant autem nonnihil, qui Bambergenſium eiuſmodi feudorum meminerunt. Alij enim, vti Bruſchius, Peucerus, Cyriacus Spangenberg, Theod. Reinkinck, Matthias Stephani, Matthæus Dreſſerus, ipſamet Imperialia Electorũ officia, puta Archi-Pincernatũ, Archi-Mareſchallatum, &c. ab eius loci Præſule in beneficium accepi docent: quorum opinionem réliqui, quales ſunt Ioachimus Cluten, Windeck, Goldaſtus, vti abſurdam nimis reijciunt & improbant; potiùs ducentes, ab Henrico Sancto, in honorem & maieſtatem à ſe fundatæ Eccleſiæ, ita conſtitutum eſſe, vt illi ipſi, qui Officiati Imperij ſunt, eadem officia Bambergenſi Antiſtiti præſtent, illaque tantùm non etiam ipſamet Imperialia, beneficij ſeu feudi titulo ſuſcipiant, aliſque viciſſim per ſubinfeudationem conceſſa, per Procuratores obiri curent. Videtur nihilominus prædictus Goldaſtus ſibimetipſi nonnihil contrariari hac in re: nam cùm ſcribat *lib. 3, cap. 8*, ſe ita, vt modò dixi, ſentire, ideoque ſe retractare addat contrariam opinionem, quam olim in præfatione Roderico Zamorenſi præfixâ erroneè ſecutus fuerit: præcedenti tamen 7 capite diſertè tradit, ciuitates Electorales (die Thür Stätte) Pragam veterem & Witenbergam, à Bambergenſi, feudi iure dependére; quo ſtante, de reliquis duabus (Ambergâ ſiue Heidelbergâ, & Cuſtrino) probabiliter idem dicendũ ſit; ac per conſequens ipſa Electoralia officia, feuda Bambergenſia haberi dicique debeant. De Pragâ teſtem citat Ioannem Baptiſtam Eiſen IC, qui affirmauerit, ſe vidiſſe & legiſſe Diplomata inueſtiturarum. De Witenbergâ nititur fide Ludouici Perſonæ Conſiliarij Electoralis Saxonici, qui in oratione de Witenbergâ ſcribat, Saxoniæ Electores à Bambergenſibus Epiſcopis petere inueſtituram Witenbergæ & Trebicij. Hæc ſi ita ſint, vti aſſeuerantur, multùm dederint hiſce caliginoſis difficultatibus lucis. Ego quidem, donec certiora & pleniora reſciſcam, ad veterem formulam: *Non liquet*, prouoco, & eò-uſque reliqua, quæ præmittuntur, in ſuo ſtatu relinquo. Vnum tamen hoc tenere & affirmare non verear, quòd ſi omnino fatendum ſit, & ex Bambergenſi Archiuo ſufficienter probari poſſit, illos qui hodie ſunt, & aliquot retro ſeculis fuerunt Imperij Archi-Officiales, Henrici Sancti beneficio, illo priuilegio & honore frui: non tamen exinde ſequi & concludi ſimul poſſe, quòd eo ipſo ab eodem Electores, cum ceterorum Principum excluſione, priuatiuè ſint conſtituti. Supereſt igitur, vt prædicta obiter & in tranſcurſu applicemus ad illam nobilem, tritiſſimam, & variè diſcuſſam quæſtionem, de origine Septem-viralis Electorum Collegij; de quâ multi multa, ac hactenus ferè plerique certi ac veri parùm. Digniſſima ſanè materia eſt, quæ plurimorum

De origine Collegij Septem-viralis Principum Electorum.

rum exerceat industriam & fatiget ingenia. Maiora enim sunt horum Archi-Principum de Imperio Romano & Germanicâ natione merita, quàm vt digna illis gratia haberi ac dici, nedum referri vnquam possit; quam rem vix integro libro comprehendendam, præteriri à tacente satius est, quàm ieiunè & tenuiter deteri. Si tamen vel suspicari possem, ad Augustissimi illius Consessûs vilipendium & contemptum spectare, si à Gregorio V & Othone III, originem suam non repetat; manum de tabulâ tollerem, & ad magis plausibilia me conuerterem. Persuasus autem sum, siue ad decimum Gregorium, vt Panuinius & Auentinus; siue ad quintum, vt communiter plerique; siue ad Innocentium IV, vt Baronius, eumque secutus in retractationibus Bellarminus; siue tacitam & occultam originem, vt aliqui, Principum Electorum Septemviratus referatur; omnium confessione, quadringentis circiter ad minimum annis, in præsentem vsque horam feliciter floruisse; vt mera absurditas fuerit, illius existimationem & fundatissimam prærogatiuam, ex huius dissensionis & discrepantiæ euentu, metiri velle. Nec maior, me iudice, huic glorioſissimo vniuersi orbis Collegio honor & reuerentia exhiberi potest, quàm si quis operam det, vt quàm verissima & probatissima de illo prodat & proferat. Omnem autem hanc quæstionem ad certa capita siue subdiuisiones redigam, maioris perspicuitatis ergò; ita tamen, vt nec ipse absolutè & finaliter aliquid concluſurus sim, indicato tantùm, quid in qualibet parte magis probabile minusque absurdum mihi videatur, dimissóque iudiciosis lectoribus & Germanicarum antiquitatum non vsquequaque imperitis, pronuntiandi & definiendi honore. Aliqua igitur in hac Electorali materiâ certa habentur, vel saltèm reliquis aliquantò minùs incerta sunt; aliqua vicissim sunt, quæ ceteris obscuriora apparent: in quibus ita, ni fallor, versari & progredi oportebit, vt ex illis quæ planiora & expeditiora sunt, etiam reliqua aliquid lucis & illustrationis participent, ac, quantùm fieri potest, magis magisque enodentur. Quæstionum prima esse poterit; an Gregorius V Papa & Otho III Cæsar, vel iunctim, vel alteruter illorum, Constitutionem, legem, Canonem, Diploma, Ordinationem, vel quo alio nomine dici debeat, fecerint & publicârint, de Electione Regis siue Imperatoris Romani; & circa illam, abolito veteri ritu, noui quid introduxerint; ac nominatim & in particulari, an illi eligendi Cæsarem ius ad septem Principes restrinxerint? Secunda: si ad Gregorium & Othonem non referenda sit origo Septem-virorum, ad quem tandem illa pertineat? Tertia: an vno eodemque tempore modernorum Electorum maioribus officia Imperialia & ius electionis, an verò diuersis collata fuerint; & vtra de illis priùs aut posteriùs? Quarta denique erit: an illis ipsis ab initio hæ dignitates & priuilegia obtigerint, à quorum posteris hodie possidentur; an

Quæstiones quatuor de origine Electorum.

1. Quæstio. Electores Septemviri an à Gregorio V & Othone III originē habeant?

verò primitus ex parte, vel toto, alij fuerint? Circa primum de hisce quatuor quæsitis, olim communis & passiua longo tempore opinio fuit, Gregorij V & Othonis III tempore legem fuisse conditam, datumque Germanis priuilegium, de non assumendo deinceps per hereditariam successionem Imperatore, eoque non nisi è Germanis, & à Germanis eligendo; cui rei ex omni procerum numero septem Principes delectos, eosque è re Electores dictos fuisse; ita vt plerique Auctores, quos longo ordine apud Goldastum, Ioachimum Cluten, aliosque videre est, in hisce quatuor conueniant: 1. Tempore præsignato hanc Ordinationem factam esse. 2. Solis Germaniæ Principibus datum esse eligendi ius. 3. Nomine omnium, id septem Electoribus creditum & commissum esse. 4. In Imperatorem non nisi Germanum eligi posse. In quinto parùm conueniunt, sed sectas faciunt: alij enim soli Gregorio adscribunt; alij vtrique tam Gregorio quàm Othoni; alij denique, qui ferè recentiores, & è Sectariorum huius & superioris seculi numero sunt, Othoni tantùm. Mihi autem non videtur dubitandum, si quid eo tempore, quod necdum satis expeditum esse videtur, in hoc Augustæ electionis negotio nouatum sit, id vtriusque auctoritate & operâ factum esse: de quo nec Baronius & Bellarminus dissentiunt; cui rei pluribus non insisto. Frustra enim scrupulosiùs inquiritur, quomodo, & à quo quid actum sit, priusquam, an omnino actum quid fuerit, constat: quod iam expediam. Numerus & auctoritas Auctorum, qui affirmatiuam tuentur, terrere quem possent, ni antiquissimi Scriptores, adeoq; omnes illi, qui Martino Polono vetustiores sunt, altùm de tam magnâ re silerēt, & è recentioribus emunctissimæ naris & præcipuæ in historiâ Ecclesiasticâ & Germanicâ antiquitate eruditionis, negatiuā susceptissent propugnandam: ni etiam, absq; Auctoribus quos dixi sit, & communi illâ quā inuexêre persuasione, omni probabilitate affirmatiua sententia destitueretur: ni denique illi ipsi, qui contra Neotericos illos, in genere iam indigitatos, moxque nominatim producendos, affirmatiuæ insistere perseuerârunt, ita illam rem tractâsse reperirentur, vt potiùs absterrere lectores voluisse videantur ab astipulatione & assensu, quàm ad illam eosdem allicère, vt in suo ordine videbitur. Istæ rationes allegatæ, & in sequentibus probandæ, obtinebunt, vt confido, à lectoribus iudicio valentibus, & à præiudicio liberis, ne vitio vertant, me potiùs cum paucis verum amplecti, quàm cum pluribus communiorem errorem, omni verisimilitudine destitutum, sectari voluisse. Sunt igitur illi, quorum in hoc contrariantium sententiarum conflictu opinionem sequor, Ioannes Auentinus Boïcorum Annalium Scriptor, vti in aliquibus non probandus, ita Germanicarum rerum & antiquæ historiæ peritissimus, & duo alij, in historiâ Ecclesiasticâ illustrandâ & eruendâ omni laude maiores,

Onu-

Onuphrius Panuinius, & Cæsar Baronius S.R.Ecclesiæ Cardinalis; qui etsi in aliquibus ab inuicem discordent, in hoc tamen vnanimiter conueniunt, Collegium Septem-virale aliquantò recentius esse, quàm vt origo & institutio illius ad Gregorium & Othonem prædictos deferri possit. Ac tantò quidem magis isti recentiori quidem sed verissimæ doctrinæ fidi posse persuadeor, quòd Cardinalis Bellarminus, qui priùs in tertio suo de translatione Imperij libro contrarium sustinuerat, tandem & ipse in hanc sententiam transitum fecerit, & Baronio assensus sit; idque in Operum suorũ recognitionibus publicè, irreuocabiliter, & perpetuùm testatum esse voluerit. Occasionem igitur & primordia erroneæ illius opinionis, de instituto à Gregorio V & tertio Othone septem Electorum Collegio quod attinet, probanda omnino est Cardinalis Baronij sententia, qui è loco Martini Poloni malè intellecto illam enatam coniectat. Cuius tantò verisimilior opinio est, quòd nullus de omnibus Italiæ aut Germaniæ Scriptoribus, siue in historico is, siue quouis alio versatus sit argumento, ante Martinum, vel in minimo mentionem aliquam de illâ re fecerit. Verba Consentini illius Archi-Episcopi hæc sunt: *Et licèt isti tres Othones per successionem generis regnauerint; tamen postea fuit institutum, vt per Officiales Imperij Imperator eligeretur, qui sunt septem; videlicet primi tres Cancellarij, Moguntinus Germaniæ, Treuerensis Galliæ, Colonienſis Italiæ; Marchio Brandeburgensis Camerarius, & Palatinus Dapifer, Dux Saxoniæ ensem portat, Rex Bohemus pincernam agit, &c.* In hunc Martini locum ita scribit tom.10 Annal. sub anno 996, num.70, Baronius: *Martinus primus omnium Auctor, qui septem meminit Electorum, in Othone III referens, quæ postea suo tempore facta essent. Vnde irrepsit error, vt sub Othone tertio, sub quo id ab eò scriptum inuenerunt, multi putauerint septem fuisse creatos Electores, scripserintq; à Gregorio factum, quod scriptum repererant sub eodem Gregorio Papa V; nimirum ab ipso eosdem septem constitutos fuisse Electores, cùm tamen illud, quod Martinus ait*: tamen postea fuit constitutum, vt per Officiales Imperij, &c. *ad sua ipsius Martini tempora sit referendum.* Ita Baronius, qui statim eruditè & neruosè explicat, quomodo intelligendum sit, quod S. Thomas *lib. 3 de regim. Princip. cap. 19*, eâdem de re scribit. Vbi tamen sciendum quoque est, cùm nullus ferè omnium è veteribus Auctoribus locus, Baronianæ de origine Electorum sententiæ fortiùs obstet, quàm hic è cit. tract. de regimine Principum, aliâ præterea ratione illi satisfieri posse. Gerard. Ioan. Vossio *lib. 2 de Histor. Latinis, cap. 34* Idem Baron. paulò pòst ita concludit: *Verùm amphibologia Martini, Scriptores illos omnes fecit errare, qui Constitutionem septem Electorum Gregorio V tribuerunt, qui tantùm auctor videtur fuisse, vt electio Regis in Imperatorem promouendi, ad omnes Germaniæ Principes & Prælatos Imperij feudatarios pertineret. At hæc his satis, qui puram diligunt veritatem.* Cùm igitur verissimum sit, ex mero

Martini Poloni locus.

* *Tractatu de Regi Princ. S. Thomæ vulgò sed falsò tribui ait.*

ex mero errore istam enatam fuisse opinionem, facile est animaduersu, quid tribuendum sit quamuis numerosis Auctoribus, qui perperam Gregorio tribuunt, quod posteriorum temporum esse certo certius est. Nam non in historijs tantùm scribendis, sed in iuris etiam prudentiâ, alijsque artibus & disciplinis frequentissimum est, vt errantem aliquem alij bona fide sequantur; & errorum alienorum, per facti ignorantiam, vel alios lapsus, ac imprimis præstitam alijs credulitatem, se participes faciant: cuius assertionis veritas infinitis exemplis ostendi & probari posset. Hinc enim, quod exempli loco sit, apud ICtos enatæ sunt communes illæ erroneæ opiniones, quæ postea, re meliùs à recentioribus perpensâ, per contrarias communiores eneruatæ & profligatæ reperiuntur. Atque hac ratione ille ipse Martinus plurimos per aliquot secula, adeoque ipsos de Pontificum vitis Scriptores, Ioan. Stellam & Baptistam Platinam seduxit fabulâ suâ de Ioanne VIII, donec Onuphrius, Ciacconus, reliquique sagaciores, ac præ ceteris Cardinalis Baronius, illius falsitatem vsque adeò in apertum protraxerunt, vt etiam Sectariorum ipsorummet aliquibus deinceps sordere cœperit, prout exempli causâ apud Sethum Caluisium in Chronologiâ videre est. Vltimus tamen Martini Editor, quod obiter non præterierim, Colonienſis Religiosus, ex antiquis & sincerioribus (ita ipsi quidem visum) codicibus, ante annos non ita multos, eius hac in parte innocentiam asserere laborauit. Porrò vetustissimos Scriptores nostros quod attinet, ad quos, contra prædictorum ab vno ad alium per manus traditum deriuatumque errorem, confugiendum & prouocandum esse dixi, non est huius loci, illos longiori serie recensere; quod etiam pridem magnâ ex parte ab Onuphrio Panuinio, *in libello de Comitijs Imperij, cap. 6*, præstitum est; vbi ex illis, omnium & singulorum Imperatorum electiones ordine suo referens, verissimè monstrat, vsque ad Fredericum eius nominis secundum, nullum ex omnibus esse, qui non cunctorum Imperij Principum suffragijs electus fuerit. Quid contra tam valida & euerti nescia Gevvoldus alijque moueant, suo loco, pro instituti breuitate, non præteribitur. Improbabilitas igitur opinionis prædictæ, ex historicâ veritate omnium illorum sat grandi numero Germanicarum rerum Scriptorum, quos generatim indigitaui, præcipuè dependet; quorum dicta & narrata eò vsque firma & immota consistere necesse est, donec ab alijs, qui se antagonistas profitentur, euersa & prostrata dentur: quo in conamine hactenus parùm profectum esse, statim patebit. Augetur autem prætacta impossibilitas ex illis, quæ in superiori Tractatu, & hoc ipso capite, de Ecclesiasticorum & secularium Electorum officijs deducta sunt. Si enim Gregorij V & III Othonis tempore, quod partim probabiliter, partim firmis historiarum & Diplomatum testimonijs verè & solidè

solidè ostentum est, aliquot illorum necdum officia illa, quibus Electoratum esse annexũ, nec aduersarij negant, obtinuerũt; simul sequi necesse est, ipsam Electoralem dignitatem, necdum illo ævo penes eos resedisse. Id pluribus denuo exequi non attinet, ac vel indicâsse sufficit. Iam quod ad prænominatos recentiores Scriptores spectat, qui primi in hac materiâ cornicum oculos, vt in prouerbio est, confixerunt; illorum certè ea est auctoritas & existimatio, vt licèt numero hactenus longè sint inferiores, reliquis tamen, ob præmissa, non tantùm non cedere, sed prævalere etiam, ac instar omnium magno merito suo esse debeant. Nec dicam iam pluribus de Auentino; quamuis gratulari possimus communi patriæ, Germanum hominem in huius rei veritate eruendâ Italis præluxisse, viamque ad pleniorem indagationem faciendam non infeliciter strauisse. Panuinius autem, Baronius, & Bellarminus eius sunt, tanquam omni maiores exceptione, apud vniuersos, qui literas & puriorem veritatem amant, nominis & opinionis, vt neminem, quantæcunque is doctrinæ sit, pudere debeat, magistros illos agnouisse illisque submisisse, in hoc literario negotio & Ecclesiasticâ historiâ, eruditionis suæ fasces. Nec longiùs versabor in faciendâ eorum, quæ dixi, de tantis viris probatione; & fieret illis iniuria, si quid tale meditarer: quis enim hæc lumina ignorat? Afferam solummodo Bellarmini è suprà citatis recognitionibus locum, vt constet, virum hunc primarium, pro reliquâ singulari ingenuitate suâ, post veritatem è Baronij, cui in Ecclesiasticis Antiquitatibus plurimùm detulit, scriptis agnitam, ad nostras, vti potiores, transisse partes; quod Gevvoldo in tractatu de Septemviratu vel ignoratum, vel dissimulatum reperio. Ita igitur ille sub titulo, Recognitio Opusculi de Translatione Imperij: *lib. 3, cap. 2. Dixi Electores Imperij constitutos fuisse à Gregorio V; sed decretum eius Pontificis fuisse quidem continuò executioni mandatum, quatenus constituebat vt Rex eligeretur à Principibus Imperij, sed non fuisse, nisi post ducentos annos & amplius, vsu receptum, quoad restrictionem ad numerum septenarium: sed postea Cardinalis Baronius, cui multùm omnino Ecclesia debet, ob immensos labores quos pertulit toto ferè vitæ suæ tempore, in historiâ Ecclesiasticâ vndique colligendâ & literis commendandâ, inuenit librum cuiusdam Matthæi Parisiensis Monachi S. Albani in Angliâ, qui Anglicanam historiam scripsit ab anno domini 1066 vsque ad annum 1250; atque ex eo Auctore haberi scripsit, ab Innocentio IV, in Concilio Lugdunensi generali, quod celebratum est anno Domini 1245, restrictum fuisse numerum Electorum Imperialium ad septem, videlicet ad Ducem Austriæ, Ducem Bauariæ, Ducem Saxoniæ, Ducem Brabantiæ, Archi-Episcopum Colonienſem, Archi-Episcopum Moguntinum, & Archi-Episcopum Salisburgenſem: sed videtur omnino vel in eodem Concilio, vel paulò pòst in locum Salisburgensis substitutus fuisse Archi-Episcopus Treuerensis; & in locum Ducum Austriæ, Bauariæ & Brabantiæ substituti Rex Bohemus,* Marchio

Locus è Bellarmini recognitionibus.

Marchio Brandeburgensis, & Comes Palatinus Rheni. Hos enim septem nominat Martinus Polonus, qui fuit Pœnitentiarius eiusdem Innocentij IV Pontificis, Sanctus Thomas, Augustinus Triumphus, & Henricus Ostiensis, qui eodem ferè tempore floruerunt, & omnes alij posteriores. Et quamuis nemo Historicus tradat, quis auctor fuerit, vt illa mutatio & substitutio fieret: tamen certum omnino haberi debet, factam esse vel ab eodem Innocentio, vel aliquo eius successore. Non enim decretum summi Pontificis Innocentij in Concilio generali factum, vllus, Pontifice Maximo inferior, mutare ausus fuisset, vel iure potuisset. Hactenus Bellarmini retractatio; cuius modestiam, humilitatem, & candorem in eierandis erroribus & suscipiendâ veritate, etiã reliquos imitari æquum est, qui in illis, quos ille rectiora docentem secutus euasit, adhuc hærent irretiti laqueis. Poterimus autem tantò tutiùs prædictis fidere & subscribere, quòd præter rationes & testimonia veterum, quibus insistunt, diuersi adhuc alij in plerisque, maximè principali puncto, illis assentiantur, vel saltèm de Gregorianâ & Othonianâ ordinatione Septem-virorum plurimùm dubitent; quales sunt, ne quid de recentioribus, quos necdum particulatim excussi, iam dicam, Sabellicus, Blondus, Crantzius, Spigelius, Stabius, Hermannus Comes Nuenarius, & Peucerus, quos omnes Nicolaus Cisnerus refert in oratione suâ de Othone III, in quâ mordicus tuetur communem de origine Septem-virorum opinationem.

Progredior autem iam ad illos, qui post Baronium in hoc argumento versati sunt, & veterem illam ex Poloni Chronico perperam hausta & imbibitam persuasionem ita tutari instituerunt, vt simul nouam Baronij & veriorem sententiam impugnare sategerint, quos inter, ni fallor, principem locum, citra cuiusquam iniuriam, assignare licebit Christophoro Gevvoldo Franconi, Consiliario Bauarico, viro aliàs doctissimo, ac non minùs de Germanicâ historiâ & antiquitatum patriarum studiosis, quàm Sereniſſimo Principe suo eruditis scriptis suis singulariter promerito. Edidit enim is anno 1616, ac denuo anno 1621 recudi fecit, peculiarem Tractatum, siue Commentarium De Sacri Romani Imperij Septem-viratu; in quo inter cetera præcipuè probare & ostendere laborat, Augustum illud Collegiũ, iam inde ab Othonis III & Gregorij V tempore originem suã repetere, multusque est in refutandis quæ contra doctrinam, quam illâ de re sequitur, ab aliis scripta & publicata fuerunt; nominatim autem Christophori Lehemanni (Lechmannum ipse vocat) Spirense Chronicon sibi refellendum proposuit, dissimulato Baronij nomine, cui vel in primis responderi debuisset, tanquam aduersariorum eius antesignano, & eminentissimam præ alijs omnibus huius argumenti Tractatoribus auctoritatem & existimationem obtinenti, cuique

nullo

nullo colore illud, quo tanquam Palladis Gorgone ad hostes prosternendos præcipuè fidere videtur, *Nouatoris* conuitium intentare potuisset. Nouatores enim dici non debent, qui veritatem, quantumuis illa diù latuerit & oppressa fuerit, in lucem reuocare & dignitati debitæ restituere curant. Hactenus tamen, ac semel duntaxat, si rectè recordor, Baronij quoque meminit, quòd illi, vti extero, hunc in Germanicâ historiâ errorem & lapsum benignè condonari oportere dicat: quo iure autem, & quo fundamento, istâ minimè necessariâ ac parùm ei, cui offertur, honorificâ ciuilitate vtatur, mox planũ fiet. Quia autem hìc non nisi compendiosè agere instituì, ac iam nunc verendum mihi sit, ne additamentorum angustias excesserim, breuissimè indicabo quid de isto Gevvoldino Opere mihi videatur; quod nec Auctor, si viueret, improbare posset; nec quisquam alius ægrè ferre debebit. Qui enim libros in publicum dant, aliorum libera de illis iudicia, si insultatio & proteruia absint, nec modestia, quæ in omnibus & maximè literariam rem & Musica sacra tractantibus requiritur, negligatur, ferre & admittere tenentur. Integri aliàs & quidem prolixi ac ingentis Commentarij, res sit, singula minutatim & per partes, ad trutinam iudicioſi examinis & exactioris censuræ, expendere velle.

Quatuor quæ Gevvoldo iustè obijci posse videntur.

In genere igitur affirmare non formido, non admodum feliciter Gevvoldum, præsentem quæstionem quod attinet, in isto versatum esse argumento. Primò enim, argumentis ipsi contradicentium, quæ passim commenta vocat, *cap. 3*, longo ordine, nec tamen satis plenè & integrè relatis, nil ferè solidi respondet. Secundò, Auctores, quibus opinionem suam firmare nititur, vel sunt Martino Polono, quæ potissima illorum classis est, iuniores, & ex eius Chronico malè intellecto communem istum errorem, vt Baronius ostendit & conqueritur, hauserunt; vel in genere de electione, non addito, à septem vel omnibus facta sit, loquuntur; vel etiam nihil quod ad rem faciat proferunt; aut aliquo alio, vt infrà attingitur, vitio laborant: ad sex enim classes Auctores isti Gevvoldini in sequentibus rediguntur, earumque nullam Baronio & sectatoribus eius obstare ostenditur. Tertiò, numerosæ illæ, quas assertioni suæ stabiliendæ apponit, Cæsareanorum Diplomatum subscriptiones ipsummet producentem iugulant; eáque præterea, quæ ego de initijs Germanici Imperij Archi-Cancellariatuum suprà posui & firmaui, magis magisque stabiliunt. Quartò, licèt nunquam in animum inducere, mihique persuadere possim, voluisse Gevvoldum, virum notæ integritatis & fidei, studiosè & sciẽter fictitiorum Scriptorum commento lectoribus illudere, & existimationem suam prostituere; iudicium tamen & acumen tanti in literis, & præcipuè historiarum cognitione, viri desiderare cogor, quòd adductis * Welberti & Amandi, nescio vnde erutis, fragmentis & excerptis, omnium ipsi contrariantium

* *cap. 6 de Septemuiratu, pag. 78 & 79.*

tium vetetum hiſtoricorum noſtrorum auctoritatem & teſtimonia eludere ſe poſſe ſperauit. Horum quatuor Gevvoldo à me obiectorum in ſingulis ſpecimen aliquod dandum eſt. Ad primum igitur quod attinet, principiò negatam ab alijs decreti Gregoriani exiſtentiam, non alijs quàm Neotericis teſtibus probare ſtudet; quorum teſtimonijs illa minimè eneruari & retundi poſſunt, quæ Baronius, Panuinius, & alij è longè vetuſtioribus obiecerant. Vtitur deinde Bellarmini teſtimonio, è libro tertio de tranſlatione Imperij; qui locus, ob factam, vt ſuperiùs refertur, retractationem, deinceps obſtare illis nequit, quorum ſententiæ ille acceſſit & ſubſcripſit. Tertiò, fruſtra Paulum Bernritenſem pro ſe citat, qui omnia contraria dicit, quàm quæ producens inde elicere contendit; nec ſe aliter inde ipſemet Gevvoldus expedire poteſt, quàm vt ad Welbertum & Amandum ſuos confugiat. Quartò, minùs ſubſiſtens & frigiduſculum eſt, quòd, quæ apud Othonem Friſingenſem habentur de regni *primoribus*, à quibus omnibus Fridericum I electum fuiſſe, *lib. 2 de geſtis eius, cap. 1*, dictus Auctor ſcribit, ad ſolos ſeptem Electores reſtringere intendit; nec de alijs Othonem ſenſiſſe affirmat. Per primores enim, Principes in genere & vniuerſim ſignificari, omnis antiqua Germanicorum Scriptorũ hiſtoria clariſſimè euincit: nec debuit in re ignotâ, obſcurâ, nemini ex proditâ, demõſtrandâ & aſſerendâ, ambiguis & dubij intellectûs locis vti; ſed claris potiùs, perſpicuis, irrefragabilibus. Quintò, de intellectu loci S. Thomæ Aquinatis*, qui *lib. 3 de reg. Princip. c. 19*, ſcribit, hiſtoricos tradere, per ſeptẽ Principes electionem Imperatoris fieri; plùs credendum eſt peritiſſimè illum explicanti Baronio (*tom. 10, ſub ann. 996, num. 70,*) quàm ariolanti Gevvoldo, qui diuinat potiùs, quàm iudicat & aſſerit, omnes illos, de quibus S. Thomam ſenſiſſe coniectat, interijſſe, & ad noſtram memoriam nullum de omnibus peruenijſſe. Addit etiam de ſuo vocem *antiquas*, cùm S. Thomas in genere hiſtoricorum mentionem faciat. Nec habet iſta ariolatio quicquam veriſimilitudinis, eò quòd omnes illi, qui ad nos peruenerunt, veteres hiſtorici omnia contraria ſcribant; nec facilè nominari alicuius nominis & fidei ex illorum temporum Chronographis quis poſſit, quem à temporis iniuriâ interceptũ interijſſe, pro certo affirmare liceat. Et cuius frontis ſit, ſi quis ſuſtinere non vereatur, omnes illos, qui de hac ambiguitate vera ſcripſerant, perijſſe; qui falſa & erronea, ſuperſtites ſolos manſiſſe? Sextò, fruſtrà Baronio, licèt ſubticito nomine, contradicit Gevvoldus, Martinum Polonum omnium primum eſſe, qui ſeptem Electorum meminerit. id enim negans, antiquiores, idem tradentes, nominare & ſiſtere debuit; quod Gevvoldus non fecit, nec facere potuit. Septimò, Albertum Stadenſem Abbatem in anno 1240 Chronicon ſuum finijſſe, atque adeò ante Lugdunenſe, ſub Innocentio IV celebratum,

Primum obiectum contra Gevveldum

1.

2.

3.

4.

antiquioribus

5.

*vide ſu pràpag. 175

6.

7.

Con-

Concilium scripsisse, pariter erroneum est: perduxit enim illud ad minimum vsque ad annum 1256, vti constat ex editione Witebergensi anni 1608; ac præterea Gevvoldus non probauit, perduxisse Albertum scriptionem suam præcisè ad illud vsque tempus quo scripsit. Solent autem sæpissime historici aliqua scriptis suis inserere, quæ ad posteriora tempora pertinent, non ad illa, quæ sub manu illis versantur. cuius generis, vt alios taceam', non pauca apud Baronium in Annalibus occurrunt, etiam illa hinc inde inserentem, quæ suo seculo paulò illustriora, quæque ad posteros perennare, seculi, Ecclesiæ, & humani generis intererat, contigissent. Longum sit singula, quæ eiusdem notæ reliqua sunt, recensere & refellere. Ac pace doctissimi viri dictum sit, solidiora & firmiora sunt Onuphrij ac Baronij fundamenta, quàm vt à Gevvoldi respõsionibus vel in minimo commota & labefactata videri possint. Eiusdem enim sunt cetera omnia, quæ breuitatis causâ prætermitto, ponderis, cum paucis illis, quæ in specimen produxi & discussi. Iam Auctores quod attinet, quibus vtitur ad stabiliendam sententiam suam Gevvoldus, illi sex generum sunt, quorum nullum est quod Baronianæ sententiæ quicquam noceat. Ad primam classem, quo recentiores & à Martini Poloni malè intellecti loco seductos redegi, pertinent Trithemius, Nauclerus, Egnatius, Irenicus, Platina, Bonfinius, Wernerus Rôleuing, Auctor Chronici Noribergensis, Nicolaus Cusanus, Aluarottus; & ex parte Baldus, Albericus de Rosate, Augustinus Triumphus Anconitanus, Marsilius Patauinus, Ptolemæus Lucensis, S. Thomas de Aquino, Auctor magni Chronici Belgici, Aquileiensia monumenta: quibus omnibus tandem ipse Polonus, qui alijs occasionem errandi amphibologicâ scriptione suâ dedit, adijciendus videtur. Atque huius quidem nominatim meminerunt, illumque sequi se profitentur, Lupoldus de Babenberg, & S. Antoninus. Secundæ classis sunt impertinentes, & ad quæstionis statum nil facientes, quâ continentur Conradus Vecerius, Iacobus Philippus Porcius, Ioan. Stella, Bartholomæus Salicetus, Iacobus de Ardizone, Antonius de Rosellis, Philippus Corneus, Æneas Syluius, Bonifacius de Vitalianis, Baldus (hic in plerisque solenni more sibi ipsi contrarius, nec in hac quæstione multùm abit ab ingenio suo) Franciscus Zabarella, Caroli IV Bulla aurea, Bartolus, Ioan. Andreæ, Henricus Rebdorffius, decretum electionis Ludouici Bauari, literæ Clementis V ad Ducem Rudolphum, Alberti I Imp. literæ ad Bonifacium VIII Papam, Diploma Rudolphi I, Albertus Argentinensis, literæ Electorum ad summum Pontificem post Rudolphi I electionem datæ, eiusdem attestatio anno 1275 in Comitijs Augustanis facta, Alexandri IV literæ ad Archi-Episcopũ Moguntinum, Innocentij IV Decretalis, Auctor Chronici manuscripti tempore Friderici II cõpositi, Petrus de Vineis,

Secundum obiectum.

Albertus Stadenſis, Henrici VI Diploma, Innocentij III Diploma ad Zaringiæ Ducem, eiuſdem literæ ad Conradum Moguntinum Archi-Epiſcopum, Friderici I confeſſio apud Radeuicum, Guntherus Ligurini Scriptor, Sigebertus Gemblacenſis, Marianus Scotus, Annales Mediolanenſes, Dithmarus & Adelboldus. Tertiam claſſem, ipſimet Gevvoldo contrariorum, faciunt Matthæus Paris, Arnoldus Lubecenſis, Abbas Vrſbergenſis, Auctuarium Aquicinctinum, Otho Friſingenſis & Anſelmus Gemblacenſis. Sub quartâ claſſe continentur Amandus & Welbertus, de quibus mox ſeparatim dicetur. Præter recenſitos, quintam conſtituere claſſem fortè poſſint Matthæus Palmerius & Donatus Boſſius, qui præterquam quòd non de numero quicquam definiunt, etiam Pannoniæ Principes in ſuffragia mittunt, tantùm abeſt vt ſeptè eligendi actum reſtringant. Sexto loco numero teſtimonia aliquot, quæ vel non niſi obiter, & ne locis quidem, vbi quærenda ſint, additis adducuntur, vel minùs plenè & periculosè referuntur; quæ probare aliquid nequeunt, donec clariùs & pleniùs indicentur, illaque ſub numeris 61, 63, 64, 67, 74, & 77, continentur. Exempli loco afferã illa, quæ *num.* 61, è Brovveri *lib.* 1. *Antiq. Fuldenſ. c.* 16 producit. Verba Crantzij *lib.* 6 *Saxon. cap.* 46, pro ſe citat, prout à Brovvero referuntur; ſed non addit, quod debebat, marginalia eiuſdem Brovveri notata, quæ illius teſtimonij efficaciã eneruant. ita autem ad illa Crantzij verba, Princeps Elector, Brovverus: *Nouitium & non eius ævi γνώρισμα.*

Tertium obiectum.

Tertium, in quo Gevvoldum intentionis ſuæ fundamentum minùs rectè poſuiſſe, in ſuperioribus dicebam, ſunt numeroſæ illæ Imperialium Diplomatũ ſubſcriptiones, ex quibus quid elicere voluerit, præſtat ipſiſmet verbis eius referre; ad quid autem ſeruiant, breuibus ego poſtmodum ſubiungam. *Manifeſtam quoque* (ita ſcribit pag. 84) *Electorum antiquitatem reddunt, & originem illorum, temporibus Henrici II Imp. vendicant Diplomata Regum & Imperatorum. Quamuis enim retroactis temporibus eiuſmodi regales ſiue Cæſareas literas ſubſcribere ſolerent aulæ Cancellarij, vice Archi-Capellanorum, quos pro arbitrio ſuo Cæſares Regeſq; ſacro ſcrinio præficiebant: tamen inſtitutis tandem Septem-viris, & ſanctione de eligendo Romanorum Rege in electione Henrici Sancti vſu receptâ, deinceps per aliquot ſecula obſeruatum fuit, vt vel ipſi Electores ſeu Officiales Eccleſiaſtici, &c. ſeu vice & nomine eorundem, aulæ Cæſareæ Cancellarij, eiuſmodi literas, Diplomata ac priuilegia Cæſarea regiaq; ſubſcriberent: Ac Moguntinus quidem, tanquam Germaniæ Archi-Cancellarius, aut nomine eius, &c. Si Rex vel Imperator in Germaniâ tunc ſubſiſteret, Treuerenſis. Dici autem nequaquam poteſt, neque exemplis comprobari, à tempore Caroli Magni vſque ad Othonem III incluſiuè, Archi-Capellanum eiuſmodi Cæſaris Regiſve Romani, vno & altero exceptis, Archi-Epiſcopum fuiſſe vel Moguntinum, vel Colonienſem, aut denique Treuerenſem; ſed officium illud pro libitu ac beneplacito ipſorum*

rum Imperatorum ac Regum concessum fuisse cuicunque illi vellent. Verùm post latam de Septem-viris sanctionem, & Henrico sancto designato Rege Romano, distributa semel inter tres Ecclesiasticos Principes commemoratos officia fuêre Electoralia; id quod ipsa praxis & ad nostra vsque tempora perdurans viridis obseruantia testatur. Hæc ille; cum quibus tamen subscriptiones 78 subiectæ non vbique conueniunt. Etsi enim inter Archi-Capellanos, quorum nomine quinquaginta priores recensitæ literæ recognitæ sunt, vsque ad Imperium Henrici sancti excluſiuè, ego non nisi vnum Colonienſem (Hildebaldū) hactenus reperiam; (reliqui enim, vti Hildebertus siue Hildegarius, & S. Bruno, atque etiam Treuerenſes Radbodus, Rutgerus & Rupertus, à Gevvoldo prætereuntur;) è solis tamen Archi-Episcopis Moguntinis sex ad minimum inseruntur, Luidbertus, Hildebertus, Fridericus, Wilhelmus, Hatto & Willigisus. Atque inde constat & euidens est, contrà quàm prædicti Auctori visum est, etiam ante S. Henrici Imperium, præterquam quòd vnus atque alter Saliſburgenſium Præſulum intercurrat, ordinariè è Rhenenſium Archi-antistitum numero, Imperij Archi-ſacellanum assumi consueuisse. Secundò probabile non est, à primi Othonis tempore & præsulatu filij eius Wilhelmi, deinceps arbitrarium fuisse, cuius Archi-Episcopalis Cathedræ præsulem quisque pro tempore Cæsar in Archi-Cancellarium assumere vellet; cùm ex illis, quæ in superiori Tractatu, hac ipsâ de re, infallibili veterum diplomatum fide asserüimus, satis probetur, ab illo tempore nullos alios in Imperij Archi-Capellanos assumptos fuisse, præter solos Moguntinos; donec deinceps institutis Italico & Gallico similiter hereditarijs & perpetuis Archi-Cancellariatibus, in partem istius sollicitudinis & dignitatis Colonienſis etiam ac Treuerenſis adoptarentur. Tertiò veriſſimum est, quod suprà dicebam, subscriptiones illas Gevvoldum in probatione intentionis suæ nihil iuuare, sed potiùs ipsi aduersas & obstantes esse, planeque per eas verificari & astrui, quæ de initijs istorum sacri Imperij Archi-Cancellariatuum suo loco pluribus deduxi. Neque enim, vt Gevvoldo placet, origines Germanici, Italici, Gallici Archi-Cancellariatuum, ab Othone III & Henrico II repeti debent; verùm Moguntinus, iam inde ab Othone I, in genere se Archi-Cancellarium siue Archi-Capellanum scripsit, ac talis in Imperiali aulâ & Cancellariâ, continuâ & nunquam interruptâ serie, habitus est: Colonienſis autem Archi-Episcopus, sub IV. Henrico necdum Italicum Archi-Cancellariatum tenuit; an autem sub Henrico V, vel potiùs sub Friderico I, illum hereditario iure consecutus sit, saluâ istâ, quam suo loco in medium protuli, coniecturâ, indecisum relinquo; quamuis illis, qui priùs præferent, contradicere non intendam: Treuerenſis denique, ante eiusdem Friderici tempora, Arelatenſis, id est, Burgundici regni

ci regni Archi-Cancellariatum verisimiliter tenere nequijt. nec supersunt, vel saltèm ab aliquo hactenus necdum producta sunt, quæ contrarium astruant & persuadeant, testimonia. nec hactenus, quod sciam, ex Diplomatibus vel Auctoribus aliquid productum est, quod aureâ Bullâ Caroli IV multò antiquius sit; cuius generis Gevvoldus inter inscriptiones suas vnicam refert num. 74. Supereſt iam vltimo loco expendere, quid tribuendum sit auctoritati & dictis citatorum à Gevvoldo Welberti & Amandi; quorum illum Conradi II Capellanum, hunc Friderici I Secretarium facit, ac de electione Lotharij ac primis Friderici in Imperio actis scripsisse addit. Dicam priùs de personis; deinde ijs quæ ex scriptis eorum excerpta proferuntur. Personas quod attinet, nullum dubium esse potest, nemini omnium vel antiquorum vel recentium Scriptorum prædictos Auctores, vni Gevvoldo citatos, notos esse; apud neminem illorum memoriam & nomen extare; nec etiam post factum de illis à Gevvoldo indicium vnquam prodijsse; aut vbi reperiantur, à quoquam indicatum esse. Altum de illis silent Trithemius *de illustribus Germaniæ viris & Ecclesiasticis Scriptoribus*, Possevinus *in sacro Apparatu*, Guil. Eisengrinus *in Catalogo testium veritatis*, Ioan. Gerardus Vossius *de Historicis Latinis*; ne quid dicam de Bellarmino *in Script. Eccles.* Gesneri, Simleri & Frisij *Bibliothecis*, alijsque Scriptorum & bibliothecarum Catalogis & Nomenclaturis. Acrequirebat, ni fallor, negotij grauitas, vt, qui obscuros & omnibus ignotos Scriptores illos non tantùm allegare, sed etiam totius negotij cardinem in illis constituere intendebat, simul indicaret, vbi gentium isti extarent, è quâ bibliothecâ in lucè protracti essent; cuius deniq; fide illorū testimonia cieret, penes ipsum vel alios reperirentur, ipsemet illos inspexisset, vel aliorum interuentu copiam excerptorum nactus esset. Nec attinet eâ de re pluribus se extendere. Miror interim virum doctissimum, qui Bauaricum Gevvoldi Electoratum satis feliciter & magnâ laude post obitum eius defendendum suscepit, istorum etiam meminisse. Iam dicta illorum vt expendantur, stylus, ni fallor, vtriusque satis prodit, ab vno homine vtrumque excerptum esse profectum, de quo Critici paulò sagaciores viderint. Sed & ipsamet narrata eiusmodi sunt, vt genuina nécne sint, nimis pateat. Dicere igitur non vereor, quamuis liquidò constaret, fuisse & scripsisse illos, quæ sub nomine eorum edita sunt, nullam tamen eis fidem deberi. Primò enim, quis vnquam audiuit, aut apud quemquam Auctorem legit, solitos fuisse, vt Amandus scribit, è *Lombardiâ, Tusciâ, Ianuensi & alijs Italiæ dominijs* ad Imperatorum electionem *Illustres Heroas* conuenire? Fieri aliquando potuit aliquos, vel spectandi vel alia negotia expediendi causâ, præsentes fuisse: Electioni interfuisse, & vnà cum Germanicis Principibus, pro alicuius electione, apud Electores institisse, nemo

De VVelberto & Amando.

nemo scripsit, nemo legit aut vidit. Et pugnat omnino cum asserto Gregoriano decreto, quo, vt soli Germanici Principes eligant, statutum fuisse asserunt. Secundò, omnis historia testatur, antiquitus, vsque ad Caroli IV. Imperium, & decantatissimam illam, quam de Electione Imperatoris publicauit, Bullam auream, electiones fieri solitas in patentibus campis sub dio, non, vt Amandus scribit, *in arcano Curiæ regalis loco*; in quo Officiatos regni electionis negotio intendentes sedere facit. Exempla eius rei obuia & in promptu sunt, ac valdè memorabile est, quòd, cùm sub Innocentio IV, vt statim videbitur, ac à Baronio principe loco obseruatum est, quædam circa personas & cærimonias formamque electionis innouatio introduceretur, ac inter cetera, tanquam *conclaui* alicui Electores deinceps includi debere, ordinatio fieret; ne tunc quidem alibi, quàm sub aperto cælo ac puro Ioue, locus caperetur. Sed nec ipsamet Aurea Bulla Electores cubiculo, diætæ, aut cœnaculo alicui, siue secretiori secessui, (Sacristiæ, quam vocamus, vsus postmodū primùm introductus videtur,) includit; ac in genere tantùm Francofurtense oppidum deinceps in electionis faciendæ solemnem locum constituit & ordinat. Tertiò, quid sibi vult, quòd alternatiuè, tanquam dubius & incertus, scribit, Officiatorum Imperij, quibus electio iam tunc, Friderici I Imperio incipiente, priuatiuè competijsset, sex aut octo fuisse. Sed non difficulter causa sciri potest, quare in aliquibus nonnihil errans introducatur. Nam eòdem pro quarto retulerim, quòd Lotharius Imp. quem Lutherarium nouè & peculiariter nominat, à Welberto scribitur sub Henrico V in Gallijs res magnas cum Imperatore gessisse; cùm satis constet, expeditionem Henrici Gallicam, ob Wormatiensium rebellionem ac tumultum, progressum non habuisse. sed longum sit persequi singula. Totus vtriusque contextus, narrata ferè singula à reliquis, qui extant, historicis longè discedunt & plurimùm dissentiunt: ac propterea frustra est prædictus istos Care quouis obscuriores citans Auctor, quòd omnium aliorum sibi obstantium & contradicentium historicorum scripta & narrata ex Amandi & Welberti traditis explicari, restringi, & declarari debere contendit; quæ interpretationes plerisque in locis nimis violentæ sunt, nec possunt omnino ad aliquam harmoniam & consonantiam reduci noti ac celebrati Scriptores nostri, cum istis nouiter exclusis ac non nisi vni Gevvoldo proditis. Quintò, quid sibi vult, quòd Amandus Fridericum non alio cognomine quàm de Stauffa & Weiblingen designat, cùm tamen certum sit auo patreque Sueuiæ Ducibus natum fuisse, eumque ipsum ante Imperium eiusdem gradus & dignitatis extitisse. Atque hactenus de primâ quæstione dictū esto. Posset circa illam & hoc quæri, an in genere saltèm, sub Gregorio & Othone, de Cæsareâ electione noui aliquid decretum & ordinatum sit? quod

præter alios ipsemet Baronius affirmare ac docere noscitur. Illud autem tum breuitatis, tum alijs ex causis intactum prætereo, vnum hoc cursim indicâsse contentus, nullam me causam videre, cur credant Baronius alijque Gregorium V & Othonem III de Imperatoris electione quicquam statuisse, si Martino Polono eiusque sequacibus hac in parte fidi non debeat. Altera propositarum quæstionum erat, cui ergo accepta ferenda sit Electorum institutio, si ad Gregorium V & Othonem III, vt hactenus deduximus, non spectet? Ad hanc paucis respondeo, etsi primo intuitu valde videri possit probabile, quod in libello de Comitijs Imperij siue Imperatoris electione Onuphrius scribit, eundem illum Gregorium X, qui modum eligendi summum Pontificem interpolauit, & conclaue primus commentus est, etiam hanc alteram ad aliam redegisse formam; nec tempora valdè ab inuicem recedant: esse tamen quæ hanc opinionem elidant & conuellant. Bellarminus enim diuersorum historicorum scriptis abundè Onuphrium refellit, ostenditque plures fide dignos Auctores ante Gregorij X Pontificatum, septem Electorum expresè meminisse. Ita igitur, aliorum hac de re iudicio saluo, sentio, de Septem-virali Collegio Electorum à nemine hactenus magis verisimilia ac probiliora in medium adducta fuisse, quàm à Cardinale Baronio, *tom. 10 Annal. sub anno 996*, qui Innocentio IV attribuit, nixus testimonio Matthæi Paris. Monachi Angli, grauis & veracis, si quæ à Baronio notata sunt demantur, Historici, qui dictum Pontificem Maximum in Lugdunensi Concilio, anno 1245, decretum promulgâsse scribit de faciendâ deinceps Regis Romani in Cæsarem promouendi electione, per certos ac paucos vtriusque ordinis Principes. Extant quæ Parisius hac de re vnicè refert *pag. 655 edit. Tigur.* & quidem in medijs Lugdunensis Concilij actis; vt nemo dubitare possit, verissima esse quæ Baronius asserit, quæque ipsius Matthæi verbis satis firmantur, in Concilio isto à IV Innocentio nouam Constitutionem & ordinationem factam, conclusam, & promulgatam esse, quomodo deinceps in Imperatorum electionibus procedendum esset. Sic igitur Auctor prædictus, cuius verba, vt tantò certiùs & infallibiliùs de omni re lector æstimare & statuere possit, & hìc legi, pretio operæ non caret.

2. *Quæstio. Cui adscribenda sit Electorum institutio, si ad Gregor. V & Othonem III referenda non sit?*

Magna-

Magnates Alemaniæ non tamen Electores Imperatorum.

Rex Bohemiæ.
Dux Lothoringiæ.
Dux Brunesvvikiæ.
Dux Suauiæ.
Landgrauius Thuringiæ.
Dux Lemburgiæ.
Dux Carinthoniæ.
Dux Saxoniæ.
Comes de Gelria.

Electores Imperatorum.

Laici: *Dux Austriæ.* *Dux Bauariæ.* *Dux Saxonum.* *Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ.*

Prælati: *Archi-Episcopus Colonienſis.* *Archi-Episcopus Moguntinus.* *Salsburgenſis.* — Principales.

Isti ducentur in insulam quandam Rheni, & dimittentur soli in eâ, & amouebuntur omnes nauiculæ, & ibi tractabunt de electione Imperatoris; nec aduenient aliquis ad eos, donec omnes sint concordes. Huic negotio præerit Archi-Episcopus Colonienſis, ſecundus Moguntinus, tertius Salsburgenſis.

His à Domino Papâ directa est diligentissima admonitio, cum supplicatione, vt sibi alium Imperatorem eligerent; promisitq; eis sui & totius Ecclesiæ consilium & auxilium, & principio sub spe potioris successus, quindecim millia librarum argenti. Præuenit autem & præualuit Friderici dissuasio, qui eis, & maxime Duci Austriæ, vinculo affinitatis est confœderatus, vnde monitis aut precibus Papalibus Electores minimè paruerunt.

Hanc Parisij locum Baronius in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ verſatiſſimus, quemque nec in Germanicis Antiquitatibus quicquã ad argumentũ pertinens, intactũ & inexcuſſum reliquiſſe, locupletiſſimi annales eius irrefragabili documento ſunt, inter omnes præcipuum & primarium inuenit, è quo de Septem-viralis Collegij origine certi aliquid eliceret; cui libens volenſque ſubſcribo. Ac quemadmodum tantus Auctor & vir ſanctiſſimæ conuerſationis, Sanctæ Apoſtolicæ Sedi, erga quam, ſi quis alius, optimè affectus eique tenerrimè deditus fuit, magis honorificum & glorioſum putauit, ſi de illis, quæ ad digna-

tionem & maiestatem eius pertinent, ea potiùs scriberet, quæ certis probatorum Scriptorum testimonijs, & solido fundamento niterentur, quàm quæ vulgò sine sufficienti probatione spargerentur, & ex alicuius non optimæ notæ Auctoris malè intellectis narratis originem suam haberent, à ceteris omnibus antiquioribus vnanimiter & solidissimè refutata: ita confido nec mihi vitio verti posse, quòd eâdem ratione, ad maiorem glorioſissimi Electoralis Collegij honorem, existimationem, & decórem, firmis potiùs & solidis, quàm fluxis, controuersis & incertis insistere voluerim. Hac enim ratione, nisi nimiùm fallor, magis rerum veritati & Septem-virorum dignationi consulitur, licèt aliquot annis recentiores constituantur, quod non multùm ad rem facit: quandoquidem, vt & in superioribus dicebam, etiam secundum hanc Baronianam sententiam, à quadringentis circiter annis viguisse reperiantur. Gevvoldus relato Matthæi loco quod opponat aliud non habet, quàm vt dicat, illum rerum Germanicarum non satis peritum fuisse: quod, ni fallor, alienè ipsi & impertinenter obijcitur. Nec enim prædicta ad res nostras propriè & principaliter pertinent; sed ea concernunt, quæ in generali Concilio, id est, totius orbis Christiani luce & speculâ gesta sunt: cuius generis quæ sunt, etiam ad vltimas terrarum, & remotissimas regiones emanare solent; nec vnius gentis aut populi alicuius propria sunt, sed ad omnes singulasque Christiani orbis & Apostolicæ obedientiæ prouincias ex æquo pertinent. Ac cùm prolixè satis Lugdunensis illius Synodi acta ab illo referantur, quæ absque hoc esset, planè perijssent, nec alibi præterea hactenus reperta sunt; nemo dubitare potest, pro vt gesta fuerunt, apud eum, vtpote publicorũ monumentorum studiosissimum peruestigatorem, quorum etiam haud exiguam manum nullibi præterea inueniendam historijs suis passim inseruit, ea integrè extitisse: vt potiùs ingentes eo nomine ipsi gratiæ debeantur, quàm vt ignorantiæ, lapsûs & erroris accusandus veniat. Nec est etiam in Teutonicâ historiâ tam rudis hic Parisius, vt videri vult Gevvoldus, quam plurimis locis, Anglicanis rebus appositè & veraciter admiscet, idque diuersis experimentis, si locus pateretur & opus esset, facillimè probari posset. Difficultatem tamen fortè nonnemini videatur habere, quòd non illi in singulis à Matthæo ponantur Electores qui hodie sunt; id enim, ni fallor, inter alia ipsi obijcitur, ad conuincendum illum obiecti in historiâ nostrâ erroris. Quid alij iudicent nescio; mihi quidem id vel præcipuum argumentum videtur, tunc temporis omnium primò, de restringendo Electorum Principum numero ad septenarium, cogitatum & decretum esse, eoque animaduerto ipsum etiam Baronium inclinare. Nec enim facilè in vna eademque tẽpora initia rerũ & perfectiones incurrunt & coincidunt. Manſit igitur postmodũ, designatus tunc tẽporis

nume-

numerus; in personis mutatio aliqua secuta est: cuius rei etsi causas & annũ ignoremus, de re tamẽ & facto ipso dubitari non potest. Ingenuè autẽ etiã ipsemet Baronius hac in parte fatetur, se pleniùs quæ deinceps cõsecuta sunt, necdum eruere potuisse, quando scribit: *A quonam autem, retento Electorum septenario numero, facta fuerit ista mutatio; num ab eodem Innocentio, vel alio aliquo ex Successoribus eius, hoc fatemur nos latére.* Subijcit tamen paulò pòst, *num. 68,* aliquam istius variationis causam: *Quod verò qui ab Innocentio electi Principes Electores, Dux Austriæ, Dux Bauariæ & Dux Brabantiæ cesserint alijs; inde prouenisse videri potest, quòd magis cuperent eligi quàm eligere Imperatores, sicq; inter eligendos potius quàm inter Electores locum habere maluerint.* Hactenus Baronius: possunt tamen etiam aliæ causæ interuenisse, quas ariolando curiosiùs inuestigare nil opus est. Non dubito autem aliquos, non tam ambitionis ergò, quàm molestiarum vitandarum & tædij declinandi causâ, refugisse honorem, plus inuidiæ tunc temporis & periculi, quam commodi & emolumenti secum trahentem, quique non tam gratiam & beneuolentiam apud vnum, quàm offensam apud multos causaretur. Et si verum est quæ de Officialibus Imperij ab alijs traduntur, verisimile fit, præteritos ab Innocentio Bohemum, Palatinum, Brandeburgicum, Austrio, Bauaro, & Brabanto cedere noluisse. Sed nec Treuerensem, ob antiquitatem Sedis & ius vetustissimum Primatûs Belgici, Salisburgensi locum dare dignatum esse, similiter probabile est. Quanquam quod de Bauaro & Palatino dixi, fortè paulò aliter se habeat: & videtur omnino validissimum argumentum, quo à parte Bauaricâ fulciri & defensari possit illa inter Gevvoldum & Freherum disceptata controuersia, hinc formari, ac verè dici posse, iam inde è primæuâ Electorũ ordinatione, Electoratûs dignitatẽ Bauariæ, nõ verò Palatinatui obtigisse, licèt postea istis familijs connubio, vt fit, in vnam coalescentibus, statimque fraternâ diuisione denuo ex parte separatis, longo tempore, ac in tertium vsque seculum, penes Palatinam familiam resederit. Circa textum Parisij superiùs è Concilij Lugdunensis decretis relatum, adhuc dubium superesse videtur, dignum quod indiscussum non prætermittatur. Parisius enim non solos Electores recenset, sed illis reliquorum Alemanniæ Magnatum aliquot, qui Electores non sint, apponit; quod otiosè factum fuisse, dicendum non videtur. Quæri igitur potest, an sequentia verba: *Isti ducentur in insulam, &c.* de solis septem Electoribus; an simul de reliquis nominatis Principibus, non Electoribus, accipienda sint; ita vt tam hi, quàm illi, simul in dicto loco conuenire debuerint? Saluo aliorum iudicio, mihi non videatur absurdum dictu, si vtriusque ordinis Principes statuamus simul congregari debuisse. Primò enim id videtur ex ipso contextu & connexitate colligi. Secundò, si propositum fuisset Parisio Procerum Ger-

maniæ recensionem generalem instituere, non solùm quos nominauit, sed & reliquos referre debuisset; cùm multos præterierit, parùm vel etiam nihilo inferiores & infirmiores illis, quorum nomenclatorem egit: quales fuerunt Dux Pomeraniæ, Dux Megalopolis siue Meklenburgi, Dux Meraniæ, Marchio Istriæ, Marchio Misniæ, Comes Holsatiæ, Comes Hollandiæ, Cliuensis, Iuliacensis, Montensis, Marchio Brandeburgensis, Burggrauius Noribergensis, Comes Luceburgensis, Anhaltinus, Badensis, ac alij multi. Videtur igitur illos solos è reliquis selectos producere voluisse, qui eâdem Pontificis & Concilij ordinatione, quâ Electores creati erant, præliminari electionis tractatui habendo, simul destinati fuerant. Nam egregiè hæc declarantur, quod tertio loco dictum sit, ex illis quæ scribit Albertus Abbas Stadensis, septem Electores *ex prætaxatione Principum & consensu* eligere Imperatorem. Nam licèt fortè dici possit, istam prætaxationem potuisse per Electores cum Principibus institui, priusquam in insulam se conferrent; tamen quod de consensu additur, aliter accipi vix potest, quàm vt ipsius electionis tempore illis præsentes adesse debuerint: maximè cùm decreti textus habeat, quòd nemo ad illos accedere debeat, donec concordes sint. Posset tamen ex aduerso dici, non videri verisimile, omnes Episcopos & Prælatos Imperij ab illo prætaxationis actu fuisse exclusos: quod sine dubio dicendum erit, si Matthæi Parisij verba eo modo, quo fecimus, explicentur. Sed reponi vicissim potest, videri illorum partes hac in re tres Archi-Episcopos, qui tractatui interfuerunt, sustinuisse. Hæc vtcumque coniectando eruere tentamus; firmi aut certi aliquid de re obscurâ & confusâ non definientes. Sunt & alia, quæ circa textum Parisinum strictim attingere placet. Duplicem refert Parisius Saxonum Ducem, vnum inter Electores, alterum inter reliquos Principes; cùm tamen illo tempore vnus tantùm fuerit Saxoniæ Dux, non, vt hodie, duæ distinctæ, nullo agnationis se inuicem vinculo attingentes familiæ, vti sunt Wittebergica siue Electoralis, & Lavvenburgica. Hunc nodum nisi vel ad librarij aut excusoris mendum, vel ad ipsius Auctoris errorem confugere liceat, non aliter sciam dissoluere, quàm vt dicamus, per alterum Saxoniæ Ducem, quem inter Principes non Electores refert, Marchionem vel Palatinum Saxoniæ intelligendum esse. Nam de Brunsvvicensi, è vetustis Saxoniæ Ducibus orto, qui à Friderico II, decem ante Lugdunense Concilium annis, (anno 1235) isto & Luneburgensium Ducis titulo in Ducum ordinem allecti & creati fuerant, accipi non potest; quos æquè ac alterum Parisius nominatim exhibet.

Colonienſi Archi-Episcopo primas in electionis actu eiusque directorio partes Innocentius concedit: quæ prærogatiua sine dubio Italico Archi-Cancellariatui honoris causâ data fuit; licèt Moguntinus, vt aurea Bulla & cõmu-

munis veteris nouíque temporis obseruantia testantur, loco cedere detrectarit, ac fortassis nec ipsemet Colonienſis nouo honore, contra antiquissimam Collegæ possessionem & iura notoria, vti voluerit. Quæri etiam potest, quæ fuerit ista Rheni insula, de quâ Parisius, vel potiùs Concilium loquitur? Verisimile autem est, intelligi illam, quæ est supra Confluentiam, haud procul oppidulo Rens, in cuius vicinià antiquitus Electores conuenire esse solitos, ibidemque Rupertum Imperatorem electum fuisse, historiæ loquuntur; ac in hodiernum vsque diem, in sinistrâ Rheni ripâ, in prato, illic supereſt structum è lapide Monumentum, quod vernaculè *Kayſers Stuell* vocant. Si cui tamen magis videatur, esse insulam, quæ iuſra Moguntiam, ferè è regione Palatij regalis & oppidi Ingelheim, Ringauiæ adiacet, in quâ Ludouicus Pius Imp. obijt, cum illo pugnare nolim. Quamuis autem suprà è Baronio retulerim, incertum esse, an ipsemet Innocentius, vel aliquis Successorum eius, in personis Electorum, in Concilij decreto nominatorum, illam quæ hodieque durat mutationem fecerit; valdè tamen probabile duco, ab ipsomet Innocentio, siue proprio motu, siue ad vnius alteriusque instantiam, in hanc posteriorem formam redactum esse hoc septem-virale negotium: nam integro nouennio post Concilium superuixit & Albertus Stadensis suprà citatus, qui se sub Friderico II vixisse & scripsisse, ipsemet non vno loco prodit, illos ipsos Electores qui hodie sunt ad amussim enumerat *pag. 215*, vbi scribit: *Ex prætaxatione Principum & consensu eligunt Imperatorem Trenerensis, Moguntinus & Colonienſis, &c. Palatinus eligit, quia Dapifer est; Dux Saxoniæ, quia Marscalcus; & Marggrauius de Brandeburg, quia Camerarius; Rex Bohemiæ, quia Pincerna est, non eligit, quia non est Teutonicus.* Ex Alberto, vt videtur, hæc eadem refert Auctor historiæ de Archi-Episcopis Bremensibus apud Lindenbrogium. Postrema autem Alberti verba Goldastus de iure regni Bohemiæ, alijque refellunt; quos præ dissentientibus, nam nec contraria sententia pluribus propugnatoribus caret, sequi malo. Mutatio autem ista, & nouarum aliquot personarum loco quarundam priùs positarum substitutio, sine notabili aliquâ contradictione, ac sine strepitu aut motu, in Apostolicæ Sedis honorem, facta videtur; eamque vel præcipuam causam habeo, quòd de Electorum primæuâ origine tam pauca aut veriùs nulla apud nostrates Scriptores reperiantur. Contentiones enim, dissidia & bellici apparatus, quæque illa vel præcedere vel sequi solent, præcipuam & solennem subministrant Historiographis commentandi materiam. Ex præ deductis, vt hanc quæstionem aliquando finiam, appáret, quo colore Baronio, de origine Principum Septem-virorum verisimillima omnium, quæ hactenus de illis haberi potuerunt, scribenti, rerum Germanicarum ignorantia obiecta fuerit; cùm vice versâ multo iustiùs nostrorum

rum hominum magnæ parti exprobari possit, quòd de rebus Ecclesiasticis, id est, Sanctorum Conciliorum vniuersalium decretis satis probabilia scribentibus, fidem adhibere tantoperè se difficiles præbeant, in illis præsertim punctis, de quibus apud domesticos Auctores silentium est. Ac tantò minùs sperari debuit Eminentissimum Cardinalem Baronium, si vixisset, & quæ Gevvoldus ex Amando & Welberto profert, legisset, mutatâ priori sententiâ in eius placita concessurum fuisse, quòd ipsemet Cardinalis Bellarminus, qui editionem Gevvoldinam superuixit & legit, licèt priùs eiusdem cum illo opinionis fuisset, nihilominus in semel factâ retractatione, & Baronianæ elucidationis assensu constans perstiterit. Verba Gevvoldi hæc sunt pag. 145: *Quòd si monumenta VVelberti & Amandi ad manus Illustrissimi Baronij peruenissent, lapsum hunc, homini non Germano & Germanicarum rerum minùs gnaro condonandum non exprobrandum, pro suo candore emendâsset.* Supersunt duæ de propositis quatuor Quæstionibus, quas breuissimè, vtpote in superioribus bonâ ex parte iam discussas, expediam. Tertio loco quærebatur, an vno eodemque tépore Electoribus officia Imperialia & ius eligendi concessa fuerint, an verò diuersis? Hæc ex illis maximam partem resoluitur, quæ suprà de Archi-Cancellariatuum & Electorum secularium officiorum origine dicta sunt. Ac certum habeo, Moguntini & Colonienſis Archi-Episcoporum Archi-Cancellatus antiquiores esse, quàm dignitas & præeminentia electoriæ facultatis: aliter autem, licèt non omni ex parte exploratum sit, de Treuerensi censeo. De secularibus autem officijs res est paulò obscurior, nec habeo vel per coniecturam, quod illâ de re affirmem. Expectandum igitur erit, an cum tempore ex Bambergico alijsve Archiuis plenius & certius quid proditurum sit. Illud interim firmiter amplector, Electoratus non esse in familijs Septem-viralibus ipsis Archi-officijs secularibus priores: vti nec de hoc dubito, officia Imperij in genere considerata, longè esse ipsis electoratibus, quibus annexa sunt, antiquiora. Quartæ quæstionis resolutionē, an nimirū illis ipsis ab initio hæ dignitates & priuilegia Archi-officiorum Imperialium hereditario ac perpetuo iure collata fuerint, ab quorum posteris hodie possidentur, an verò ab alijs, demum ad illos deuenerunt, Saxone & Brandeburgico demptis? (horum enim initia satis clara & nota sunt) æquè inter abstrusa & minùs cognita numero; quâ de re, eâ ipsâ de causâ tacere consultiùs arbitror, quàm nudis coniecturis & diuinationibus aërem verberare. Quoad veteres autem vtriusque Electoratûs prædicti possessores, quibus hodierni eorum maiores successerunt; eadem res æquè ac in Bohemo & Bauaro incerta & obscura est. Igitur huius etiam quæstionis obscurum eandem quam præcedens lucem præstolatur; & ni Archiuorū adyta & abdita nobis opitulentur, inanis & frustraneus est omnis labor, omnis industria & curiositas.

CA-

CAPVT QVARTVM.

DE PRIMATV TRIVM Ecclesiarum Metropolitanarum Germaniæ.

TRes reperio in regno Teutonico Metropoles Primatûs dignitate, partim antiquissimis, partim recentioribus, atque adeò nostris etiam temporibus gaudentes, Treuerensem, Magdeburgensem, Moguntinam; sed in differentiâ triplici. Prima enim antiquitus hunc titulum vsurpauit, aliquot seculis verò illo abstinuit; secunda hodieque isto prædicato vtitur & honoratur; tertia neque olim, neque nuper illud vsurpauit, cùm tamen verè per omnem Germaniam, quoad dignitatis gradū & ordinem sessionis, primatum teneat; reliquorum Patriarchatus particulares fuerunt, ac etiam-nunc sunt. Dicam de singulis ordine suo, facto à Treuerensi, vti antiquissimo, tractandi initio. Hanc Ecclesiam iam inde à plurimis seculis Galliæ Belgicæ primatum tenuisse, ex ipsomet constat Canonico Iure; in quo *cauſ.11, quæſt.3, cap.10,* Taugualdus (rectiùs Thietgaudus, seu, vt apud Baronium, Theutgaudus) Primas Belgicæ Prouinciæ nominatur. Vixit prædictus Antistes tempore Lotharij Regis, filij eiusdem nominis Imperatoris, & à Nicolao I, an. 863, Archi-Episcopatu priuatus fuit. Quod igitur in Catalogo Archi-Episcoporum de Brunone, octuagesimo primo huius loci præsule, Mersæus ait, illum à Paschale 2 Pont. Max. *Galliæ Primatem deputatum fuisse*, de confirmatione potiùs antiquissimi priuilegij, quàm noui Iuris elargitione intelligendum est. Eiusdem Primatûs Fridericus I Imp. in Constit. quâdam meminit apud Goldast. tom.1 Imp. Const. pag.265, vbi ita alloquitur eius temporis Treuerensem Antistitem, (Hellinum, structorem arcis Erenbreitstein, siue, vt D. Gelenius in antiquis literis inuenit, Petræ Eriberti:) *Igitur quia vos* Primas estis cis Alpes, *& cor regni, & metropolis illa vestra, Treueris, inquam, inclyta, &c.* Commemorant eundem primatum Mersæus *in Catalogo*, & Lupoldus de Babenberg *in dedicat.* ad Balduinum Archi-Episcopum, præfixâ Tractatui *de Iuribus Imperij*. Mouent autem dubium præcitata Fridericiana Constitutio, & à præcitato diuersus Mersæi locus, de terminis finibusque Treuerensis Patriarchatûs. Mersæi enim hæc verba sunt in S. Agricio, Episco-

* *de quarta Colonien. si vide infrà suo loco.*

1. *Treuerensis Primatus.*

porum vigesimo septimo, vel, vt alij volunt, vigesimo quarto: *Fuit hic primus Treuirorum Archi-Episcopus ac totius Germaniæ primus Patriarcha.* Verius autem est, Primatum istum ab hac Rheni parte non fuisse extensum; ideoque tertium Canonici iuris, cui etiam Lupoldus prædictus inhæret, sequendum esse non dubitem. Nec enim Otho I Imp. à Sede Apostolicâ pro Magdeburgensi Archi-Episcopo Primatum obtinere potuisset, si Magna Germaniâ (ita Cisrhenana nostra antiquitus vocabatur) ad Treuericum Patriarchatum pertinuisset. Igitur Mersæus de Primâ & Secundâ Germaniâ, transRhenanis Romanorum Prouincijs, intelligendus erit, quas vnà cum Primâ & Secundâ Belgicâ ad præfatum Treuirorum Primatum spectauisse, nulla absurditas est dicere. Friderici I locutio nimis generalis est, & restrictionem desiderat. Cis Alpes enim, quæ non minùs Galliam, quàm Germaniam ab Italiâ diuidunt, plures præter Treuerensem fuerunt sunt que hodiè Primatus; *Bituricensis* in Aquitaniâ, *Lugdunensis* in Celticâ, *Viennensis* in Allobrogibus, *Senonensis* in Galliâ Aquilonari, *Magdeburgensis* in Germaniâ. Initium & originem Treuerensis Primatûs, vt audiuimus è Cratepolio, ad S Agritium, Magni Constantini coætaneum, qui prius Antiochenus Patriarcha fuerat, referunt; licèt eius non meminerit in illis, quæ de ipso refert è *Pontificum Treuirorum Catalogo* Auctor magni Chronici Belgici. Nec etiam magni videntur facienda, quæ Guil. Kyriander *in Annalibus siue Commentarijs Augustæ Treuerorum, parte 3,* contrà communem doctrinam, de tempore cœpti huius Primatûs disputat; qui Auctor in hoc & similibus, quarum partium fuerit nimiùm prodit. Meminit Primatûs Treuerensis etiam Serarius *in reb. Mogunt. lib. 1, c. 21*; vbi tamen improbat Beati Rhenani sententiam, qui *lib. 3 rer. Germ.* asserit, Moguntinum & Colonienſem Episcopos ante S. Bonifacium sub Treuerensi Archi-Episcopo fuisse. Nec addo hac vice de hoc plura, auidissimè exoptans Christophori Brouweri de rebus Treuirensibus eruditissimum Opus; in quo, vt cetera, hanc materiam non dubito ab illo luculenter & plenè pertractatam esse, propediem in lucem publicam ex immeritis tenebris protrahi. Ab aliquot autem

2. *Primatus Magdeburgensis.*

seculis interimisêre Treuirensium Præsules titulo Primatis vti, contrà ac fit à Magdeburgensi, ad quem transeo. Hunc Archi-Episcopum Germaniæ Patriarcham siue Primatem esse omnes fatentur, ipseque solenniter in titulaturâ, vt vocant, suâ profitetur. De hoc autem primatu duo quæruntur. 1. Quando cœperit? 2 Quò vsque se extendat? De priori, circa originem eius, ita scribit Martinus Mertz Canonicus Ord. Præmonstr. & Cœnobitâ Rothensis in Sueuiâ, qui an. 1628, occasione reliquiarum S. Norberti Magdeburgo Pragam translatarum, vitam illius Sancti, sub titulo Norberti Triumphantis, in lucem dedit, lib. 3, cap. 16: *In hac porrò sacrâ expeditione, ab Inno-*

Innocentio II Pontif. Max. & Lothario Imp. Norbertus, ob sanctitatis merita, labores q; pro Ecclesiâ Dei exantlatos, Primatûs honore tituloq; fuit condecoratus: atq; adeò Ecclesia Magdeburgensis Primatum suum, quo inter reliquos Germaniæ Sacros Proceres Principesq; eminet, Sancto Patri Norberto, eiusq; candido Ordini in acceptis referre debet. Ita ille per errorem: multò enim antiquior est ista Parthenopolitani Præsulis præeminentia. quod agnoscit alius ille Norbertinæ vitæ siue Scriptor, siue interpolator, quæ extat lib. 2 Bibl. Præmonstr. Is enim cap. 39 ita scribit: *Eo quippe Primatu, seu suprema inspectione ac iurisdictione in omnes Germaniæ Archi-Episcopos, olim Otho Imp. nomine primus, de assensu & consilio Pontificis Summi & Rauennatis Concilij, Magdeburgensem Ecclesiam ornari fecerat, &c.* Decretum istius Concilij de erectione Magdeburgensis Metropoliticæ Sedis refert Meibomius ad calcem Widikindi Corbeiensis à se editi, *pag. 108*; in quo tamen Primatûs nulla fit mentio. De eo tamen aliqua refert idem Meibomius ex Chronico manuscripto Magdeburgensi, vt statim infrà videbimus, vbi de terminis Magdeburgici Patriarchatûs inquiritur. De eodem sequentia leguntur dicto cap. 39 vitæ Norbertinæ: *Vt ex literis Benedicti Papæ VI, ad Germaniæ Episcopos de S. Pilgrino & Passauiensi Ecclesiâ An. 973 liquet; vbi Albertus Ecclesiæ Metropolitanæ Magdeburgensis Archi-Episcopus, primus Patriarcha Germaniæ nominatur.* Dubitat tamen de hoc primatûs honore Crantzius, cuius locum statim in sequenti quæstione, de terminis huius Primatûs, referam; illi enim Rauennatis Concilij decretum, & Benedicti VI Pontificis priuilegium ignotum fuit. Altera igitur de Parthenopolitano primatu quæstio, in quâ etiam præcipuus nodus consistit, ipsos fines limitesque eius respicit; quæ tantæ visa fuit difficultatis Alberto Krantzio, vt inde ductâ argumentatione Primatum hunc omnem in dubium reuocauerit: hæc enim eius verba sunt, lib. 3 Metrop. cap. 28: *Quomodo verò & vnde consecuta sit hæc Ecclesia,* (Magdeburgensis) *vt Primas dicatur Germaniæ Archi-Episcopus eius, necdum comperi, sciens tamen nonnullos Archi-Episcopos illi non cedere in honore. Nam Saltzburgensis cum eo contendit de paritate; nec Archi-Episcopi Electores illi cedunt locum. Vnde ergò, & in quo Primatum habeat, alicunde mihi ostendi velim.* Verùm non obstat istæ Crantzij obiectio, licèt vera sint, quæ ille de tribus ad Rhenum Archi-Episcopis memorat. Fines enim huius Primatûs, Germaniæ Magnæ (ita veteres, vt dixi, illam vocabant) terminis continentur, adeoque Rheni ripas non transgrediuntur; quæ causa est, ob quam prædictos ille non concernat & comprehendat. Extat apud Meibomium excerptum Chronici vetusti Magdeburgensis, in quo Moguntinus, Colonienſis, & Treuerensis Archi-præsules nominatim excipiuntur, ijsque Magdeburgensis non præfertur, sed exæquatur. Eius Auctor, narrans Adelberti, eius loci primi Archi-Episcopi, factam à Ioanne XIII ordi-

nationem, reliquis hæc adiungit: *Et ipse nimiâ dilectione commonitus, xv Kalend. Nouemb. id est, in festo S. Lucæ Euangelistæ, ordinauit, & priuilegio Apostolicæ auctoritatis sanxit & confirmauit, eum in omni ordine Ecclesiastico Primatum habere omnium Ecclesiarum Archi-Episcoporum, qui in Germaniâ sunt ordinati: In Galliâ quoque Colonienſi, Moguntinensi, Treuerensi Archi-Episcopis per omnia* HONORE *SIMILEM esse.* Ita ille; cuius postrema verba manifestissimè probant quod dixi: longè enim differunt, dignitate priorem, & honore similem esse; ac præterea per expressum ab inuicē distinguūtur Transl-Rhenani illi Archi-Episcopatus à Germanicis. Multùm igitur à verò recedit prædictus vitæ Norbertinæ Auctor, quando scribit: *Est igitur Magdeburgensis Ecclesia præ ceteris Moguntinâ, Colonienſi, Treuerensi, Salisburgensi, Bremensi, & Rigensi Germaniæ Archi-Episcopalibus Ecclesijs, per vniuersam Germaniam iam olim honorata.* Salisburgensem autē quod attinet, probabiliter dici possit, si se non extendat vltra ripas Rheni Primatus antè dictus, eundē nec Danubium transgredi. Germania enim proprie & strictè sumpta, secundum vetustissimam prouinciarum limitationem, vtriusque illius fluuij decursu coërcetur; nec magis vltra hunc, quàm illum se extendit, vti tum è Cornelij Taciti Germaniâ, tum aliundè patet; cui accedit Crantzij suprà relatus locus de Salisburgensis oppositione. Potiùs tamen arbitror, cùm hactenus, quod meminerim, mihi repertum non sit quicquam, de speciali & expressâ Salisburgensis æquè ac Rhenanorum exceptione, si statuatur, Magdeburgensem Patriarchatum supra Iuuauiensem istum, iam inde à primæuâ erectione se extendisse, nec minùs hodieque se extendere; ac contentionem illam de sessione & præcedentiâ, de quâ Crantzius scribit, quæque in hodiernum vsque diem indecisa permanet, eo primùm exortam esse tempore, quo Salisburgensis perpetuo & hereditario iure Sedis Apostolicæ Legatus Natus fuit creatus; quod contigit sub Gregorio VII, in personâ S. Gebehardi, eius loci Archi-Episcopi. Vt enim Crantzij obiectionem effugiamus, necesse est aliquot Archi-Episcopos, & * duos ad minimū, nouo isti Primati subiectos fuisse; Salisburgēsem nimirū & Bremensem; quibus postea temporis Rigensis & Pragensis accesserunt. Nam & hunc postremum huc referendum, & Germanicis accensendum esse, inde constare puto, quòd Bohemia Germaniæ pars sit: id enim acriter propugnat, & solidissimè probat Goldast. *lib. 1 de Iuribus regni Bohem. per tot.* Cessat igitur obiectum Crantzianum, & de veritate Parthenopolitani Primatūs probabiliter dubitari nequit. Valdè autem verisimile iudico, vel ideo gratissimum fuisse Salisburgensibus Præsulibus Legati Apostolici Nati perpetuum & hereditarium honorem, quòd deinceps, hac gaudentes prærogatiuâ, Magdeburgicis gradu cedere non tenerentur. Satis enim constat de Latere Legatos non esse Primatibus

* *hoc tamen sequentibus annis non ita accuratè attentum fuit.*

matibus dignitate minores, licèt in præsentem vsque diem Parthenopolitanus Iuuauiensi, vtpote temporis antiquitate longè potior, cõcedere grauetur & abnuat. Atque hactenus de duobus illis particularibus Primatibus per omnem Germaniam, cis & vltra prædictos fluuios sitam, se non extendentibus dixi. Antequam nunc ad Moguntinum veniamus, paucis inquiretur, an Colonienſis etiam prædictis annumerandus veniat? Agrippinatem enim Metropolim, antiquitus etiam Primatiali dignitate ornatam fuisse, videtur Rupertus Tuitiensis tradere *lib. 1 de Offic. diuin. cap. 27*; citaturque is in hunc sensum à Serar. *lib. 1 rer. Mogunt. cap. 21.* Ruperti verba eâ de re hæc sunt: *Sed Primatum Colonia Metropolis obtinuit, eâ maximè causâ, quia Crescens prædictus, Coloniæ quoque Apostolicam verbi Dei visitationem primus intulit.* Quia autem de hoc Primatu apud alios silentium est, ac verba Ruperti videntur dubij intellectûs esse, manum de hac tabulâ in præsentiarum tollo, præstolans quid in Tractatu suo de *Prærogatiuis Archi-Episcopi Colonienſis*, cuius breui typis edendi spes facta est, hac de re publicaturus sit, Dominus Ægidius Gelenius Ecclesiasticæ Historiæ Germanicæ, ac in primis Colonienſis, egregius illustrator, cui ad perficienda, quæ sub manibus habet, omnia felicia & dies longos voueo. Placet referre locum è literis Leonis IX, quibus Colonienſis Archi-Episcopi & Ecclesiæ priuilegia confirmat, quibus inter reliqua, quæ sequuntur, inserta sunt: *Sicut neminem Archi-Episcoporum tibi subijcimus, ita sub nullo Primate te agi decreuimus.* *Coloniensis Primatus.*

Cogitatum quoque ante secula aliquot fuit, de erigendâ Sede Bremensi siue Hamburgensi Metropolitanâ in Patriarchatum; superueniens autem ambitiosi hominis mors, ac fortè aliæ quoque difficultates, negotium illud sufflaminantes, irritos fecêre conatus illos. Auctor enim Historiæ Archi-Episcoporum Bremensium ab Erpoldo Lindenbrogio editæ, postquam recensuisset duodecim Episcopatus, in quos prouinciam suam partiri & extendere decreuisset Albertus præpotens eius loci, tempore Henrici IV, Archi-præsul, ita subiungit: *Postremò autem in Hamburg apertè laborauit Patriarchatum efficere.* Idem totidem verbis tradit M. Adamus Bremensis, egregius Scriptor, ac ipsimet Scafnaburgensi conferendus; è quo alter ille hæc sua, vt pleraque alia, mutuatus est, *pag. 57.* qui idem *pag. 49* de assentatoribus, & iuxta Æneam Syluium, *Placentinis* huius Antistitis, sequentia ponit: *Porrò ita mendaces apud nos præualuerunt, vt vera dicentibus non crederetur, etiamsi iurarent. Talibus igitur personis plena fuit domus Episcopi. Quibus accesserunt quotidie alij Gnathones, parasiti, somniatores, & rumigeruli, qui ea, quæ ipsi confinxerant, nobisq; placitura rebantur, iactabant sibi per Angelos reuelata, iam publicè diuinantes,* Hammaburgensem Patriarcham *(sic enim vocari voluit) citò Papam futurum.* Sed de Moguntinâ Sede, *Bremensis Primatus.* *Moguntinus Primatus.*

Sede, quæ sola supereſt, verè affirmari poteſt, ſi qua ſit in omni Germaniâ Eccleſia, quæ Primatialis dici mereatur, ante omnes hoc nomen dictam Protometropoliticam mereri. Quamuis vel in primis laude maximâ vehendi ſint illius throni Archi-Antiſtites, quòd re ipsâ contenti, de inanibus titulis non admodum ſolliciti fuerint. Faciunt ad hanc rem, quæ ſuprà *pag. 31* ſcripſi, Moguntiam ab aliquibus Scriptoribus, antiquis pariter & recentioribus, modò *Franciæ*, modò *Germaniæ* per excellentiam *Metropolim* vocari, ipſumque loci Archi-præſulem à vetuſtiſſimo Scriptore Witikindo Saxone *Summum Pontificem.* Eòdem pertinet Conradi Abbatis Vrſpergenſis locus, qui etiam PRIMATVS expreſſam mentionem facit. Is tractans de Adelberto I, Archi-Ep. Mogunt. ſic ſcribit: *His auditis Præſul Adelbertus, totam Saxoniam, vbi tunc manebat, commouet; & quia legationem Apoſtolicam ab ipſo Papâ dudum acceperat, hac auctoritate Pontifices & Principes iſtius prouinciæ, pro vtilitate matris Eccleſiæ frequenter conuocat: vbi vir eloquens & primatum in Ciſalpinis partibus multiformiter tenens, ad defenſionem totius Germaniæ Metropolis, animos omnium Catholicam obedientiam profitentium accendit.* Lambertus Schaffnaburg. ſub anno 1073: *His accenſus Archi-Epiſcopus Moguntinus, cui potiſſimùm, propter Primatum Moguntinæ Sedis, eligèndi & conſecrandi Regis auctoritas deferebatur, &c.* Synodus Moguntina habita eodem an. 1073, ſic incipit apud *Sebaſtianum Tengnagel*, Bibliothecarium Cæſareum, in Monumentis antiquis pag. 291: *Imperante ſuper omnia æternaliter Regum rege Domino noſtro Ieſu Chriſto, & ſub eo regnante temporaliter Sereniſſimo Henrico Rege huius nominis quarto, Venerabili quoque Sigefrido, Moguntinæ Eccleſiæ Primate & Apoſtolicæ Sedis Legato, &c.* Plura huius generis congerere opus non eſt. Ipſe enim Moguntini Archi-Epiſcopi in Collegio Electorali Decanatus, eiuſdem rei probatio eſt; nec negare aliquis volet, omnium Germaniæ Principum eſſe primum, omniumque Præſulum maximum, qui inter illos, quos Imperij Primores ſui corporis Primates agnoſcunt, principem locum teneat. Extant literæ Principum Electorum ad Papam Benedictum XII, quas Freherus inſerüit Chronico Henrici de Rebdorf, pag. 427: in illorum capite ſiue principio, Henricus Archi-Epiſcopus Moguntinus ſe vocat Electorum Principum Decanum. Hac de re teſtantur etiam Onuphrius Panuinius *de Comitijs Imp. cap. 7, pag. 117*, & Io. Paulus Windeck *de Electoribus Imp. cap. 22.* Hinc non conuocatio tantùm Electorum ad Moguntinum pertinet: *Otho Friſ. lib. 1 de geſtis Frid. cap. 16, & Guntherus in Ligur.* ſed etiam in electione Cæſaris ipsâ, primæ ſunt eiuſdé partes; qui antiquitus etiam votũ ante omnes alios enuntiabat. *Otho Friſing.* & ex illo, vt ſolet, Guntherus *in Li-*

Decanatus Electoris Moguntini

in Ligurino; cuius loco posterioribus tẽporibus, Collegarũ vota, ex Aureæ Bullæ præscripto, exquirit & recipit, suum deinceps vltimo loco reliquis adiungens. Atque hæc de Primatibus Germanicis sufficiant; quibus coronidis loco subiungo exempla aliquot Primatuum extra Germaniam, & textum Canonici Iuris, de iure eiusmodi Primatuum, è *Cap. conquæstus 9, quæst. 3*, quo potestas Primatum, vt inter limites se continere meminerint, satis arctè constringitur. *Primates enim*, ait Nicolaus Papa, *vel Patriarchæ, nihil priuilegij habere præ ceteris Episcopis, nisi quantùm sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definimus: ita vt secundum Nicænas regulas, sua priuilegia seruentur Ecclesijs: præterquam si Apostolica Sedes aliquam Ecclesiam vel ipsius rectorem, quolibet speciali priuilegio decreuerit honorare.* Exempla autem primatuum aliorum habemus omnium antiquissima in quatuor, post Romanum, vetustissimis in Ecclesiâ Christi Patriarchatibus, Antiocheno, Alexandrino, Constantinopolitano, & Hierosolymitano; de quibus Baronius alijque vetustiores Ecclesiasticæ historiæ Scriptores & Conciliorum Tomi consuli possunt. His quatuor postea Aquileiensis & Gradensis (hodiè Venetus) in Italiâ accesserunt. Hispaniarum primas Toletanus Archi-Episcopus est; antiquitus Bracarensis fuit, cùm Toletum adhuc Mauri tenerent. Hinc olim inter Archi-Episcopos illos acres & diuturnæ de Primatu lites, quæ nec hodiè finitæ esse videntur; retinetque nostris etiam temporibus Bracara Primatûs honorem. Paulus enim de Palatio Salazarius, magni inter Hispanos Theologos nominis, in Dedicatoriâ Commentariorum in XII Prophetas minores, Ioan. Alphonsum Menesium, Bracarensem Archi-Episcopum, appellat Hispaniæ Primatẽ: quo etiam nomine Henricũ (postea Lusitaniæ Regem) Cardinalem, eiusdem loci Archi-præsulem honorat Antonius Vasconcellius. Gallia plures habet. Aquitaniæ Primas est Archi-Episcopus Bituricensis; cui longæ & molestissimæ lites desuper fuerunt cum Burdigalensi, vti in Catalogo Archi-Episc. Bituric. Ioan. Chenu legere est. Celticæ Primas Lugdunensis habetur; cui tamen pro vetustissimâ illarum vrbium, iam inde à conditi Lugduni tempore, ad inuicem æmulatione, Viennensis * sæpe mouit statûs controuersiam. Sed & Senonensis Cathedra ab antiquo Primatûs honore gauisa est; contra quam tandem, circa an. 1426, pro Lugdunensi in Parisiensi Parlamento, vt vocant, pronuntiatum est. Vide Ioan. Chenu in Archi-Episcopis Senon. De Treuerensi Archi-Episcopo dixi; cui, ni fallor, in Belgicâ, Rhemensis vel succesſit, vel additus est. Hic primus est inter Franciæ Pares, Regisq; inunctio, cuius honorificentissima prærogatiua est, ad illũ pertinet. *Rhemos* vocat Strabo *ditissimarũ & feracissimarũ Galliarũ Metropolim*. Apud Anglos Cantuariensis fruitur primatûs honore, cui tamen Eboracensis se olim acriter opposuit; apud Scotos San-

* *atque huic vicissim Arelatensis.*

Santandreanus Archi-Episcopus; apud Hungaros Strigoniensis; Armachanus apud Hybernos. Daniæ Primatum ab Hadriano quarto olim obtinuit Archi-Episcopus Lundensis. Poloniæ Primatus ad Gnesnensem pertinet. Italia, quatenus Aquileiensi & Gradensi non subest, non alium agnoscit, quàm summũ Vrbis & Orbis Pontificem, omnium vbiuis consistentium Primatum caput, & Patriarcharum Patriarcham. Orientalis Indiæ à Paulo IV Goanus constitutus est; in Occidentali Indiâ siue Americâ, ab eiusdem nominis Pontifice III, Mexicanus. Ad Primates etiam referendus videtur Moscouitarum Metropolita, licèt Constantinopolitano Patriarchæ subsit; nam alicubi à Patriarchis Primates diuersos esse, licèt communiter pro ijsdem capiantur, vix dubium esse videtur.

CAPVT QVINTVM.

DE CANCELLARIIS S. ROMANÆ ECCLESIÆ.

QVàm sit antiqua in Apostolicâ curiâ Cancellarij appellatio, necdum à quoquam, quod equidem cognouerim, proditum est; nec ego facilè determinauerim, nisi quòd qualemcunque coniecturam infrà sum prolaturus. Munus tamen ipsum illic quoque antiquissimum esse, dubio caret; ac parùm abest quin credam S. Hieronymum Damasi Papæ Cancellarium fuisse; quem in scribendis Ecclesiasticis epistolis adiuuisse, vitæ Scriptores non reticent, ac ipsemet sanctus vir alicubi fatetur. Maiori certè id verisimilitudine affirmatur, quàm quod ab aliquibus Ecclesiæ Romanæ Cardinalis fuisse asseritur; nisi quòd isto æuo tam Cancellarij, quàm Cardinalis appellatio necdum videatur vsu recepta fuisse. Hunc vetustissimis temporibus Notariorum Primicerium, ac deinceps Protoscriniarium dictum fuisse, probabile est. Vsurpata olim apud Romanam Ecclesiam ea nomina fuisse, ex Onuphrij Panuinij libello, *de vocibus Ecclesiasticis obscurioribus*, & aliunde constat; ac testatur ille, se obseruâsse, prædictum Primicerium aliquando Cancellarij munus obijsse. Sic apud Lindenbrogium inter Priuilegia Hamburgensia, Nicolai primi Diploma subscriptum reperitur, sequentem in modum: *Scriptum per manum Leonis Notarij, Regionarij & Scriniarij, &c. Datum Kalend. Iul. per manus* **Tiberij Primicer.** *Sanctæ Sedis Apostolicæ.* Postmodum inualuit, Cancella-

cellariatum obeuntes Bibliothecarios vocari, eò quòd Pontificij armarij cura simul illis concredita esset; quo munere inter alios functi sunt Anastasius & Guilielmus, qui vitas Pontificum scripserunt. Sequentibus annis longo tempore vtroque vsi sunt titulo, vt iunctim & Cancellarios & Bibliothecarios se scriberent. Intermisso deinde hoc posteriori, prior aliquamdiù mansit, donec & illi nouus, qui etiamnunc perdurat, Vice-Cancellarij succederet. De huius officio Panuinius peculiari Opere egit, vt ipsemet testatur, quod necdũ vidi. De Cancellarij autem, secundum vetustum morem, munere sic scribit alibi: *Omnium igitur Scribarum, Notariorum & Scriniariorum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Princeps, Cancellarius vocabatur: quod munus diù in Ecclesiâ amplissimum fuit, & non nisi summæ auctoritatis Presbyteris, & sæpissime Episcopis, concedi solitum, &c. Hic epistolas Romani Pontificis nomine dictabat, Synodicis Episcoporum consultationibus respondebat, Sacerdotum Romanorum decreta scribebat.* Durat etiamnunc primaria illa dignitas, nec nominis imminutione ipsi rei derogatum est. Nam hodieque, post vnum summum Pontificem, maxima & honoratissima est Vice-Cancellarij in Curiâ præeminentia. Pleraque tamen hoc tempore ad aliam formam reducta sunt, & ad Congregationes Cardinalium magnam iam partem curiales expeditiones & Papalia negotia pertinent: deinde dudum etiam ante erectiones Congregationum prædictarũ, vel per Cameræ, vel Secretariæ viam, quarũ neutra ad Vice-Cancellarij curã spectat, non pauca olim transisse reperiuntur, hodieque peraguntur: quibus de rebus consulendi sunt, qui de Romanæ Curiæ praxi scripserunt. Vice-Cancellarij autem officium in regimine Cancellariæ propriè consistit, vbi per bullata Diplomata negotia effectum suum consequuntur, eiusque subsunt iurisdictioni diuersa illa & compluria Officiatorum Curialium corpora, *Scriptorum Apostolicorũ, Secretariorum, Abbreuiatorum duorum generum, maioris nempe & minoris*, vt vocant, *Parci, Registratorum, Plumbatorum, Sollicitatorum literarum Apostolicarum, quos Ianizeros vocant, Correctorum earundem, Collectorum plumbi, Cancellariæ Notariorum, &c.* Cur autem qui Cancellarius priùs vocatus fuerat, postea temporis Vice-Cancellarij titulum assumpserit, causam reddit Zabarella *in cap. Ne Romani. de Election. in Clement.* quæ communiter à sequentibus Canonici Iuris interpretibus recepta fuit. Repudiat autem illam Gomezius ad regulas Cancellariæ *in proœmio*, & fabellæ loco habet, reddens hanc aliam; ideo nimirum isto dici nomine, quòd solus Pontifex in Ecclesiâ Dei Cancellarius sit. Hæc ratio si vera & subsistens sit, malè fecerint antiqui, apud quos ad annum Christi vsque 1187, Cancellarij nomen in ipsâ etiam Curiâ & Ecclesiâ Romanâ mansit. Magis igitur placet opinio Onuphrij Panuinij, in Romanâ, non minùs sacrâ quàm profanâ, Historiâ versatissimi; cuius præmaturus in viridi æuo obi-

Nominis Vice-Cancellarij in Rom. Curiâ ratio.

tus Ecclesiasticæ antiquitatis æstimatoribus perpetui luctûs causa est. Is igitur Auctor in suâ *de Pontificibus & Cardinalibus Romanis Epitome* scribit, Albertum de Morâ Beneuentanum tit. S. Laurentij in Lucina S. R. Eccl. Cardinalem, postea in Papatu Gregorium VIII dictum, vltimum fuisse omnium, qui Cancellarij appellationem obtinuerit. *In eius locum*, verba sunt Onuphrij, *nullus Cardinalium factus est Cancellarius, nec aliquis suffectus, qui pro Cancellario ad tempus esset; sed Domnus Moyses quidam Lateranensis Canonicus Regularis, S. R. Eccl. Subdiaconus, ad id munus assumptus est; qui quòd Cardinalis non esset, non* Cancellarius, *vt Cardinales se consueuerant appellare, sed* Cancellarij vicem agens *dictus est; quia Cardinalis non erat: cùm tamen re ipsâ ipso Cancellarij munere fungeretur, prouentusq; & regalia omnia Cancellarijs dari solita, à Pontifice haberet: Fuitq; hic primus, qui post longa tempora, cùm non esset Cardinalis, Cancellarij Romanæ Ecclesiæ functus sit munere; antea enim non nisi Cardinalibus officium illud demandari consuetum erat, qui (vt diximus) cùm non esset Cardinalis, non Cancellarius, vt Cardinales solebant, sed Cancellarij vicem agens dici voluit.* Hinc Vice-Cancellarij origo manauit. Hactenus Onuphrius, qui ista refert sub Papâ Gregorio VIII; constat autem ex Constitutione decessoris eius Vrbani III, eundem Moysem etiam sub ipso Cancellarij vices egisse. *Bullarium Roman. tom. 1, pag. 30.* Idem Panuinius in prædictâ Epitome, iam inde à Leonis IX Pontificatu, Cancellariorum, Pro-Cancellariorum, & deinde Vice-Cancellariorum seriem intertexit. Ac suspicari libet, cùm non altiùs illos repetat, sub eodem S. Leone, aut veriùs decessorũ eius proximorum aliquo, Clemente II aut Damaso, (certè Petrus Diaconus sub hoc posteriori Cancellariatum obijsse reperitur) primitus introductum fuisse Cancellarij nomen; rem ipsam enim longè antiquiorem esse quis tandem neget? Nil tamen hac de re pro certo & firmo temere affirmauerim. Reperio enim apud Lindenbrogium, inter Priuilegia Hamburgensia, Leonis quarti literas, his verbis subscriptas: *Data per manum Stephani Cancellarij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Amplius igitur deliberandum censeo; aliàs fortè certiora proditurus. Sed quicquid sit de Cancellariatu; illud quidem satis exploratum, quod idem Pontifex S. Leo IX, Hermannum II, Archi-Episcopum Colonien sem, S. Rom. Eccl. Archi-Cancellarium creauit. Id constat è Bullâ Apostolicâ prædicti Leonis; quam in vetustis Ecclesiæ S. Seuerini Colon. tabularijs inuenit, indeque transcripsit, ac perhumaniter mihi communicauit Dn. Ægidius Gelenius indefessus antiquitatum tum matris Ecclesiæ, tum patriæ Germaniæ indagator & vindex, quæ inter reliqua illius Ecclesiæ Priuilegia, sequentia continet: *Confirmamus quoque tibi per hanc præceptionis nostræ paginam, Sanctæ &*

Archi-Episcopus Colonien s. S. R. Eccl. Archi-Cancellarius.

Apostо-

Apostolicæ Sedis Cancellaturam, *& Ecclesiam S. Ioannis Euangelistæ ante portam Latinam: vt te Petrus Cancellarium habeat, Ioannes hospitium præbeat.* Quod autem de Cancellaturâ & Cancellario ait, de Archi-Cancellariatu intelligendum esse, clausula istius Diplomatis probat, quæ hoc modo se habet: *Data Nonas Maij, per manus Friderici Diaconi, S. Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarij, atque Cancellarij, vice* Domini Hermanni Archi-Cancellarij, *& Colonienſis Archi-Episcopi, anno Domini Leonis IX Papæ IV, Indictione quintâ.* Fuit S. Leo Archi-Episcopi huius consanguineus, vti ex archiuis præfatus Gelenius obseruauit; quæ fortè inter alias causa fuerit prolixioris istius exhibiti fauoris; voluntque sororem eiusdem Papæ fuisse Gepam Nouesiensem Abbatissam, quæ S. Quirini Martyris reliquias ad Ecclesiam suam detulit. Duo autem videntur circa prædictum Leoninum Diploma quæri posse. 1. An à Leone, vel præcedentium Pontificum aliquo, Colonienſis Ecclesia primitus Archi-Cancellariatum illum obtinuerit? 2 An personalis illa gratia fuerit, vel perpetua, & ad successores prorogata? Primum quod attinet, videtur dubium facere vocula confirmamus: ita vt dicendum sit, veteris potiùs Priuilegii stabilimentum, quàm noui largitionem fuisse. Magis tamen placet, potiùs à Leone, quàm quoquam alio cœpisse, propter illa, quæ iam dixi; & quòd de priorum Pontificum aliquo vix suspicari quid tale possimus. Ac respicit fortè Leo, quando se confirmare Archi-Episcopo Hermanno Cancellariatum Ecclesiæ scribit, ad suam ipsius potiùs gratiam, anteriori tempore desuper indultam. Eodem enim anno, quo Papa creatus fuit, post Pentecosten venit Coloniam; vt absurdum dictu non sit, tunc præsenti præsentem hæc & alia concessisse, quæ postea Romam veniens, maioris firmitatis ergò, in solenniori formâ denuo stabiliuerit. Fuisse autem iam tunc Archi-Cancellarium ante hoc, quod retuli, Leonis priuilegium, ex subscriptione, infrà positâ, quæ in Conciliorum Tomis extat, euidens est Ad alteram quæstionem sine hæsitatione aliquâ respondendum est, licèt ipsum Leonis Diploma expresse id non dicat, non pro solo tunc temporis Agrippinensium Archipræsule Hermanno, sed in vniuersum pro omnibus simul Successoribus eius in perpetuum, Archi-Cancellariatum concessum fuisse. Refert Kyriander *parte II Commentariorum de Augustâ Treuirorum*, Diploma confirmatorium Victoris II Papæ, quod ita subscriptum est: *Datum die VII Kalend. Maij, per manus Arebonis Diaconi, vice Annonis Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis Archi-Cancellarij, Sanctæ Colonienſis Ecclesiæ Archi-Episcopi, anno 3 Domini Victoris Papæ 2, Indictione 10, mense Aprili, die 25.* Præterea auctor mihi est prædictus Dn. Gelenius, Ciacconium, (ipsum enim hunc Auctorem necdum vidi,) non vnâ, sed centum

S Anno Colon. Archi-Episcopus, S. Rom. Eccl Archi Cancellarius.

vicibus idem dicere, & exempla Papalium Diplomatum referre, quæ vice N. Colonienſis Archi-Epiſcopi & Archi-Cancellarij ſubſcripta & recognita fuerint. Tomo Concil. 3, part.1, edition.Colon. Binianæ *pag.205*, in Appendice literarum Leonis IX, num.4, extat epiſtola eius ad Salernitanum Archi-Epiſcopum hac ſubſcriptione: *Datum xi Kalend. Auguſti, per manus Friderici Diaconi, Sanctæ Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarij & Cancellarij, & Domini Hermanni Colonienſis Archi-Epiſcopi & Archi-Cancellarij. Anno Domini Leonis IX Papæ tertio, Indict. 4.* Præter Diplomata, etiam ex Hiſtoricis teſtata ſunt, Colonienſis Eccleſiæ, hæc tum Archi-Cancellariatûs, tum Preſbyterorum Cardinalium priuilegia. Wibertus enim Archi-Diaconus, antiquiſſimus Hiſtoricus, in vitâ S. Leonis IX, cui coæuus fuit, hac de re ſequentia refert; quæ propterea etiam appono, ne quis dubitet Leonis potiùs quàm alterius alicuius Pontificis beneficio, iſtis præeminentijs donatâ eſſe Agrippinã, & quidé primitus ſecundâ eius in Germaniam profectione; ter enim intra Papatûs ſui quinquenniũ Teutones ſuos inuiſit: *His ſanctis inſudans ſtudijs, antiquam repetit patriam, ſuſcipiturq; à totius gentis Nobiliſſimo atque Reuerendiſſimo Archi-Epiſcopo Herimanno apud Coloniam; CVIVS PETITV conceſſit Dominus Papa hoc Priuilegium Sedi Eccleſiæ Colonienſis, vt ad altare S. Petri ſeptem Presbyteri Cardinales quotidie diuinum celebrarent Officium in ſandalijs. Dedit ei quoq; officium Cancellarij Sanctæ Romanæ Sedis, EIVSQVE SVCCESSORIBVS, tribuens illi Eccleſiam S. Ioannis ante portam Latinam.* Teutonici igitur Pontifices vſum Cancellariorum in Romanam Eccleſiam vel introduxiſſe, vel certè frequentiorem & magis celebrem illic feciſſe videntur; anteà enim communiori appellatione Bibliothecarij, vt dixi, maximam partem longo tempore vocabantur. Ac fortaſſis obſeruatione dignum ſit, quòd iſta appellatio, poſtquam Sedes Apoſtolica Italicis reſtituta fuiſſet, à diuerſis proximè in illâ dignitate ſuccedentibus intermiſſa fuerit. Tomo 3 Concil par.1, pag.223, Nicolai II literas ab Humberto Syluæ Candidæ Epiſcopo ita ſubſcriptas legimus: *Per manus Humberti, &c. Epiſcopi, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarij.* Errat igitur Onuphrius, quod in tranſcurſu monere liceat, quando ſcribit, Nicolaum II ſine Bibliothecario fuiſſe. Ibidem pag. 261, Gregorij VII Conſtitutionem ſequentibus ſubnotauit prædicti Humberti Succeſſor: *Ego Petrus Cardinalis Presbyter & Bibliothecarius S. R. E. interfui & ſubſcripſi.* A multo tamen iam tempore diſtincta ſunt Cancellarij & Bibliothecarij officia; nec minùs hoc, quàm illud è Cardinalium Collegio, & quidem præ reliquis doctiſſimorum alicui committitur. Olim etiam alij admittebantur, è quorum numero fuerunt Platina, Raphaël Volaterranus, &c. E Purpuratis Guilielmus Sirletus, M. Antonius Amulius, Antonius Caraffa, Cæſar Baronius, Scipio Cobellucius, alijque hanc Spartam ornandam ſuſce-

susceperunt, ac insigniter excoluerunt. Sed ad Cancellarios reuertor; quorum omnium primos recenset Panuinius sub nono Leone, Petrum & Fridericum Lotharingum; quorum vtrumque Diaconum Cardinalem vocat: prætermittit autem, qui inter vtrumque medius fuit, *Vdonem Tullensem Primicerium*, quem refert Zyllesius in Diplomatibus S. Maximini num. 23; (pinnicerius illic corruptè legitur) vnde suspicari quis possit, nec reliquos duos Cardinales fuisse. Petrum certè nec apud Binium in Tomis Conciliorum; nec apud Chapeauillium in Notis, siue additione ad Historiam Leod. tomo 2; nec à Kyriandro in Commentarijs Treuerensibus aliter, quàm simpliciter Diaconum vocari reperio; idemque obtinet de Friderico: vt suspicari quis possit, isto seculo Cardinalitium titulum necdum Presbyteris cum Diaconis communem fuisse. Nam & aliàs plurimis, tum Conciliorum, tum Papalium Diplomatum vetustis subscriptionibus eadem sententia stabilitur; quorum paucas in medium proferam. Igitur ita videre est in Concilio Romano, sub Ioanne XV, an. 993 habito, in quo de S. Vdalrici Canonizatione actum est; tom. 3 Concil. part. 2, edit. Binianæ, pag. 163: similiter in Concilio Lateranensi sub Paschali II, an. 1112, in quo Henricus V Imp. anathemati subiectus, & concessio inuestiturarum, tanquam per vim extorta, reuocata est. ibid. pag. 445. Circa hoc autem tempus vsus, qui hodieque obtinet, inualuisse videtur, vt Diaconis quoque Cardinalitius titulus adscribatur. Eiusdem enim Paschalis Papæ Constitutio, quâ Lateranensem Basilicam Canonicis Regularibus concedit, extat in Bullario Rom. tom. 1, pag. 16, à Cardinalibus subscripta; inter quos Diaconi quoque, non minùs ac Presbyteri, Cardinales vocantur. Fortè igitur dicendum sit, non minus Diaconos ac Presbyteros antiquitus, quàm posterioribus seculis, nostroque hoc tempore, Cardinales fuisse; sed non æquè illis, quàm his promiscuè istum titulum adscribi consueuisse. Eius rei sequentia etiam veterum Papalium Bullarum fragmenta præbebunt documentum; è quibus eâdem operâ constabit, non solam Ecclesiam Romanã prisco illo æuo, sed & aliquot alias insigniores Metropoliticas ædes, Cardinales suos ex speciali Sedis Apostolicæ indulgentiâ habuisse. Refert Meibomius narrationem vetustam fundationis Metropolis Magdeburgensis; quâ inter reliqua Priuilegia eidem indulta, etiam hoc sequentibus verbis continetur: *Præterea duodecim Presbyteros, septem Diaconos, viginti quatuor Subdiaconos Cardinales, ad morem S. Rom. Ecclesiæ ordinare, qui ad principale altare ministrantes, quotidie, excepto ieiunio, Dalmaticis, festis verò sandalijs vterentur.* Ita illic: nec iam longiùs euagabor in excutiendis quæ de more Romanæ Ecclesiæ, circa numeros cuiusque generis Cardinalium prædictos, ac præcipuè de Subdiaconis Cardinalibus refert, alio fortassis loco trutinanda: fateor interim me de

Cardinalibus Subdiaconis præter hunc locum, necdum apud alios quid reperisse. Priuilegium Papæ Leonis IX, Colonienſi Eccleſiæ conceſſum, cuius in ſuperioribus memini, inter cetera hæc habet: *Concedimus etiam atque perpetuò largimur, vt maius altare Eccleſiæ tuæ Matris Virginis honori dedicatum, & aliud ibidem Apoſtolorum Principi addictum, reuerendo miniſterio procurent ſeptem idonei Cardinales Presbyteri, Dalmaticis induti; quibus etiam cum totidem Diaconibus & Subdiaconibus ad hoc miniſterium prudenter electis, vt ſandalijs vtantur concedimus & conſtituimus.* Differentia vtriuſque relati loci, præter numeri diſcrepantiam, in hoc præcipuè conſiſtit, quòd Leoninum Diploma Diaconos & Subdiaconos non vocet Cardinales, quorum vtrumque reperitur in Magdeburgenſi. Sed abrumpenda tandem eſt occaſione Diaconorum Cancellariorum facta euagatio. A tempore igitur ſupradicti primi Rom. Eccl. Vice-Cancellarij Moyſis, longo tempore ad illud officium promiſcuè vel Cardinales, vel alij aſſumpti ſunt, quos ordine ſuo in Onuphriana Epitome legere eſt. Ac quidem proximi illius Succeſſores duo, vterque Cardinales fuerunt, vocãturque *Pro-Cancellario* reliqui *Cancellarij vices agentes* dicti ſunt, vſque ad Honorij tertij Pontificatum; ſub quo Rainerius de Caſtro veteri Canonicus Regularis & Prior. S. Fridiani Lucenſis, primus fuit, qui commodiori vocabulo *Vice-Cancellarius* dictus fuit, veteri *vices agentis* dimiſſo, quod tamen poſtquam in Antiochenum Patriarcham conſecratus eſſet reſumpſit; Succeſſoribus autem eius in præſentem vſque diem prius illud & recentius conſtanter adhæſit. Ad tempora autem vſque Ioan. 22, pleroſque Vice-Cãcellarios extra Cardinalium Collegium adſumptos reperio, quorum tamen aliqui eiuſmodi promotionis occaſione & adiumento ad purpuram ex pòſt facto vocati ſunt. E Cardinalibus fuit Hugo de S. Caro Ord. Prædicat. notiſſimus Biblici textus interlinearis Gloſſator. A ducẽtis autem circiter annis hæc Vice-Cancellariorum Apoſtolicorum ſucceſſio eſt. A Pontificatu Calixti III, Rodericus Borgia nepos eius è ſorore hoc officium tenuit ad an. vſque 1492 quo & ipſe Papa creatus eſt, per annos ad minimum triginta quinque. Succeſſit illi Aſcanius Sfortia, præpotens & ipſe inter purpuratos & præcipuus Alexandrinæ electionis auctor; cui ſub Iulio II, Galeottus Franciottus de Ruuere ſucceſſit, Pontificis è ſorore nepos, idemque ſedente adhuc auunculo morte fratri vterino Xyſto Garâ de Ruuere locum fecit. Hunc ſub Leone X, Iulius Medices patruelis Papæ excepit, à quo in locum Hadriani Cathedram Apoſtolicam conſcendente, Pompeius Columna conciliati Papatûs præmium Vice-Cancellarij dignitatem obtinuit. Hoc ſub eodem Clemente viam vniuerſæ carnis ingreſſo, ad Hippolytum Medicen Clementis agnatum, (genitus enim fuit patruele eius, Iuliano Leonis X fratre,) Pontificio dono tranſiuit. Hippolytus anno 1

Ponti-

Pontificatûs Pauli III, Christi 1535, veneno perijt, & Pontificis è filio nepotem Alexandrum Farnesium successorem accepit; qui diutiùs quàm quisquam alius Papalibus Cancellis præfuit, per annos circiter quinquaginta quatuor: tantæ, quamdiu in viuis egit, in Curiâ Rom. & Cardinalium Collegio potentiæ & auctoritatis, vt audità morte eius, Sixtus V, sub quo tandem defecit, exclamauerit: Nunc demum se Pontificem esse. Huius viri, inter cetera, illustriora monumenta sunt, Caprarolæ magnificentissimum in eâ Tusciæ parte Palatium, quæ S. Petri patrimonium dicitur; & augustissimum Romæ Patrum Soc. Iesu templum, in quo etiam mortui ossa cubant. Obijt autem an. 1589, 6. Non Mart. & Sixti è sororis filiâ pronepos, decessori homonymus, Cardinalis Montaltus, vacantem morte eius locũ occupauit; quem etiam multis annis tenuit, ad annũ vsque 1623, quo viuere desijt, statim post Vrbani VIII, qui hodiè Ecclesiam Christi moderatur, electionem. Successit illi Franciscus Cardinalis Barberinus Suæ Sanctitatis è fratre nepos, isq; dũ hæc scribo supersit. Cùm enim hæc Vice-Cancellarij dignitas maxima sit, & proxima in Curiâ post Pontificiam maiestatem, non facilè cuiquam alij, quoties vacat, quàm Pontificum nepotibus ad illam aditus patet: Ac satis præterea memorabile est, à tribus vltimis, licèt qui hodiè est necdum ita diù præfuerit, vltra centum annos detentam esse. Omnes enim admodum iuuenes, ac potissimam partem statim sub assumptæ purpuræ primordia fuerunt promoti.

CAPVT SEXTVM.

DE EPISCOPIS, VARIORVM Regum, & Principum Cancellarijs.

QVoniam Germanici Imperij Cancellarios, ad vsque tempora Caroli V, id est, scissam per exortas eo tempore sectas Teutoniam, ex Ecclesiasticorum ordine omnes ferè allectos fuisse superiori Tractatu vidimus; quid noceat paucis indicare & ostendere, idem superioribus seculis per omnia ferè Europæ apud Christianos regna, vniuersalis & tralatitij moris fuisse? Nam & hodiè plerisque in locis idem obtinet, vti de Galliâ, Poloniâ, Hungariâ, &c. mox videbimus; nec fuit antiquitus frequentior ferè & certior ad infulas & tiaras sacras, quàm per hosce aulicæ industriæ gradus conscensio. Ac quod attinet Seculares in Germaniâ Principes nostros, passim inuenias, nihil illis iam ab anti-

ab antiquo, ex quo magnificentiâ gliscente, Cancellariorum operâ vti cœperunt, magis curæ & in votis fuisse, quàm vt illos Consilij sui Primicerios, tanquam emeritæ militiæ donatiuo honorantes, ad vacantem aliquam in viciniâ Cathedram, studio & gratiâ suâ eueherent. Nam nec grauissimas cum potentibus, adeoque ipsismet Summis Pontificibus inimicitias eo nomine exercere formidârunt; vti in præcedentibus de Sigismundo Austriaco Tyrolensi regulo, eiusque Cancellario Leonardo Wismair, electo Brixinensium Episcopo, & detonantibus contra vtrumque Pij II fulminibus cognouimus. Nec spissiùs fortè alicubi huius generis Præsules, eorumque incathedrationes, vt ita vocem, occurrere crediderim, quàm in istâ Inalpinâ veterum Sabionensium Sede. Inueniuntur enim in eius Ecclesiæ Episcoporum Catalogo Vdalrici duo, secundus eius nominis ac tertius; quorum ille Leopoldi iunioris Ducis Austrij, hic Putschius cognomine, è Sueuiæ Donauerdâ ortus, Friderici, agnati eiusdem, Sigismundi patris Cancellis præfuerunt: illorumque Successor illic fuit Georgius, qui eodem honore apud Albertum II ac Fridericum III Impp. functus est. Illis antiquiores fuerunt Ioannes à Platzheim Bohemus, LVI in ordine, & Ioannes Schaldesman Lentzburgensis Sueuus, LVIII eius Sedis Episcopi, è quibus hic Gurcensem priùs Ecclesiam rexerat. Rudolphus IV Austriacus hoc Cancellario vsus est, meminitque eius præter Hundium *in Metropoli*, etiam Gevvoldus *de Septem-viratu pag. 113.* Addo recensitis Fridericum, Leopoldi à Suitensibus cæsi Protoscriniarium, qui priusquam Brixinam transferretur, eâdem, quâ illic, Austriæ domûs præpotenti gratiâ, Curiæ etiam in Rhætis pastorale pedum tenuerat. Nam hæc quoque Sedes non hunc modò, sed & alios dictorum Principum clientes ac ministros, suos accipere & agnoscere Dominos dignata est; è quorum numero se offerunt, præter iam dictum Fridericum à Neutzingen, LXIV eius loci antistitem, illius Successor Ioannes quem ex eodem ordine Albertus sacro eius loci Collegio feliciter commendauit & promouit. Secutus ibidem est in ordine Præsulum LXX Leonardus, æquè ac recensiti Habspurgicæ stirpis Principum à Cancellis, qui ijdem alibi quoque, in obtinendis suorũ sublimationi Ecclesiasticis dignitatibus, gratiosi fuerunt. Nam præter Vdalricum, Patauiensis, ad Danubij & Oeni confluentem, Ecclesiæ Episcopum, quem Duces Austriæ veteres è S. Leopoldi prosapiâ è Cancellario ad sacræ militiæ ducatum euexerunt; Constantia quoque inter suæ Sedis Præsules, in ordine LXII numerat Ioannem Windloch Schafhusensem, Alberti Claudi Cancellarium: ac Tridentum post obitum Vdalrici à Lichtenstein, an. 1505, Septemb. mense Episcopum accepit Georgium à Neideck Austriacum, vtriusque Iuris Doctorem, ac Archi-Ducatûs Austriæ Cancellarium. Nec tantùm

Austriaci,

Austriaci, sed & alij nostrarum partium Principes, Bauari, Saxones, &c. hac in parte erga suos officiosi fuerunt. Ioannis Bauariæ Ducis Monachiensis Cancellarium, Sixtum à Tanberg, Frisinga Pastorem allegit; factumque idem petente & obtinēte Georgio Duce eiusdem gentis, de Georgio Maurkircher, à Patauiensi ad Danubium Cathedrali Capitulo. Inter Mersburgenses ad Salam fluuium Antistites, Nicolai de Lubeca sat celebris superest memoria, qui fuerat Friderici, suæ stirpis & nominis primi Saxoniæ Ducis & Electoris Cancellarius, progenitoris eius, quæ hodieque Septem-viratûs & amplissimarum ditionum heres ac domina est, Sereniſſimæ familiæ. Ex alterâ eâque vetustiori Saxoniæ Ducum stirpe, quam à gentilitiâ primariâ arce Lavvenburgicam vocant, proauorum æuo vixit Magnus, qui Henricum Bergmeyer, Cancellarium suum, Raceburgensibus Episcopum præfici curauit. Factitârunt idem in Germaniâ nostrâ seu vicini seu immixti nobis Reges. Nec iam dicam, Bohemum quod attinet, de Pragensibus aut Olomucensibus, contentus vnum nominâsse Nicolaum Ratisbonensem Antistitem, quem è Bohemiæ Regis Cancellario, Canonici eius Ecclesiæ vacanti apud se Cathedræ imposuerunt. E Daniæ Regibus Fridericus primus, ac filius eiusdem Christianus tertius, apud vicinos suos Lubecenses, Andreæ Barbo, & Dethleuo Reuentlo Nomophylacibus suis Episcopalem dignitatem impetrârunt. Dies me & charta deficiant, si eiusdem generis exempla reliqua accumulare perrexero; quare ad Ecclesiasticos transeo, qui nec ipsi hac in re infeliciores fuisse recensitis inueniuntur. Iodocus enim Hœtfilter, humili loco apud Osnaburgenses nostros natus, sed solerti ingenio ac fidâ industriâ impiger fortunæ suæ faber, cùm præter plurima alia Romanæ Curiæ officia laboriosè, nec sine laude obita, Laurentij Campegij Cardinalis Notarium egisset, tandem & ipse Lubecensi Ecclesiæ, quam absens rexit, Pastor datus est. Archi-Episcopus etiam Magdeburgensis, Conradus de Sternberg, ante illum honorum suorum tropicum, decessori suo Ruperto Mansfeldio à Cancellis inseruierat. Huiusmodi similibusque exemplis Italia præcipuè frequens & inclyta est, quæ vel eius vel aliorum locorum pluribus referre conari infinitum sit. Quæ autem in medium adducta sunt, eius ferè generis pleraque esse noscuntur, quando per laboriosissimam Cancellariatûs functionem ad sacros illos honores sibi aditum conciliant, dimissâ deinceps post nouæ sollicitudinis susceptionem priori eaque profaniori sarcinâ. Illis autem illustriora sunt, & ad magis notabilem eius officij splendorem faciunt, quando cum ipso Episcopatu, simultaneâ & duplicatâ curâ, Palatij quæsturam legumque custodiam administrant; quod qui faciunt, vix alijs, quàm Regali aut Imperiali Maiestate præfulgidis operam suam studiumque impendunt. Ac iã inde à remotissimâ

vetustate apud plerosque orbis Christiani Reges vix alij, quod & suprà re ita poscente obiter indicandum fuit, quàm aut Episcopi, aut breui ad Episcopatus prouehendi, hoc munus subibant. De Gallicis Cancellarijs è Lanouij Syntagmate & Schediasmate, alijsque eiusdem argumenti elucidatoribus, quod diximus, euidens est, licèt intra seculi spatium plerique seculares fuerint. A tempore enim Francisci primi, qui an. 1547 obijt, ad hæc vsque tempora, ac nominatim ad Petrum vsque Siguierium, inter viginti plus minùs tum Cancellarios, tum Regij Sigilli Custodes siue Pro-Cancellarios, quinque vel sex ad summum Sacri ordinis homines fuerunt, interque illos Cardinales tres, de quibus mox seperatim agetur; Episcopi duo, Ioan. Moruillerus Aurelianensis, sub Carolo IX, & sub hodierno Rege Guilielmus Vairius, Lexouiensis sub vitæ finem Episcopus, quibus sextus fortè addi debet Carolus Albispinius, non tam Abbas, quàm pro inueteratâ illius regni corruptelâ vnius atque alterius Abbatiarum secularis administrator. In Angliâ primus, ni fallor, è secularibus hominibus Thomas Morus, Magnus illius regni Cancellarius extitit: Vir autem tanti nominis, taliumque virtutum fuit, vt non vitæ minùs integritate, quàm mortis innocentissimè obitæ constantiâ, vix vllo suorum temporum sacrato viro minor fuerit. Ante illum Guilielmus Waramus Cantuariensis Archi-Episcopus, licèt medio alio interueniente, eumdem gesserat honorem: quod & præcedentibus successiuè seculis plurimi alij fecerant è maiorum gentium Clericis, inter quos ingenij, eruditionis & virtutis laude non facilè cuiquam Collegarum concedit Richardus de Burij, Episcopus Dunelmensis. Non placet hac vice reliqua tum Aquilonis, tum Occidentis regna curiosioris nomenclaturæ ergò peragrare, contentus generatim indicâsse, proferri non posse in omni, quàm latè extenditur, Christianitate, vel vnum de omnibus, quod vsque ad auorum tempora, & infelix illud superius seculum, hæresium progerminatione plus satis fœcundum ac luxurians, hosce in regnandi onere primarios parastatas, è sacro ordine non assumpserit. Atque seruât etiamnum eumdem morem, quæ à Catholicæ fidei vnitate necdum defecerunt Prouinciæ In Poloniâ cùm duo ordinariè præsint huiusmodi Diplomatum negotijs, quorum alter Cancellarij, alter Pro-Cancellarij nomen gerit; ita seruari solet, vt alteruter assumatur è regni Episcoporum corpore, prout in illius regni descriptione Martinus Cromerus testatur. Hungarorum quoque, qui Turcico necdum sub iugo gemunt, non alijs quàm Episcopali mitrâ rectis vtuntur Cancellarijs; è quibus sub Rudolpho II Imp. fuisse reperio Ioannem Kutassium Episcopum Iaurinensem, & Georgium Drascouitium Archi-Episcopum Colozensem, (vtriusque meminit Pontanus à Braitenberg *in Bohemiâ piâ*) qui idem S. Romanæ Ecclesiæ simul

nnul Cardinalis fuit. Nam & ex Purpuratorum sacro Collegio, non vnum hunc, sed & plures alios huiusmodi primariæ dignationis honores obiuisse indubium est. De Bernardo Cardinali Tridentino, Ferdinandi I Imp. Cancellario, dixi suprà, pag. 160: nec puto Perenottum, post Caroli V mortem, à Pio IV demum pileo donatum, huc pertinere. Anglia ante seculum paulo-que amplius, huius generis vidit Eboracensem Cardinalem Thomam Volsæum, Henrici VIII post Warami Cantuariensis eiurationem Cancellarium; cuius generis ante eumdem, agmen hoc inibi claudentem, complures alios in regno isto Cancellarios fuisse à non vno proditum est. Apud Galliarum Reges eiusdē ordinis diuersi, ac longè plures quàm vllibi prætereà reperiūtur. Falli nihilominus Andegauensem Scriptorem puto, qui se triginta Cardinales, qui Cancellariatum Gallicum tenuerint, ex antiquitatibus commemorare posse alicubi affirmat. Illorū autē princeps videri potest Ioannes Algrinus Archi-Episcopus Vesontinus sub Ludouico sancto Rege, quamuis de illo non admodum certa habeamus. Minùs dubitari potest de Iacobo de Ossâ Ludouici X, cui Hutini cognomen fuit, Cancellario, posteà ad summum vsque Pontificatū Ioannis XXII nomine euecto. Eius sub eodē Rege ac fratribus eius Philippo Longo, & Carolo Pulchro, successor fuit Petrus de Reblaic, quē inter Cardinales ille ipse Ioannes allegit. Sub Philippo ~~Pulchro~~ Rege ac filio eius Ioanne, Petrus à Foresta Cancellarius occurrit; quē ex Monacho atq; Abbate S. Dionysij, ad Tornacensem & Parisiensem Episcopatus, deinde Rhemensē Archi-Episcopatū, virtus & fortuna leuauit; ac Clemens tandē VI Cardinalē creauit. Secutus est sub eodē Rege Ioanne, Ioannes de Dormanno Bellouacensis Episcopus, quē Vrbanus V Papa Cardinalitiâ purpurâ vestiuit. Ludouicus Luxenburgius ex Episcopo Teruanensi Rothomagensis Archi-Episcopus, Regis Angliæ Henrici V, quo tēpore Galliæ dominatus est, Cancellarius extitit; huc tamen vix pertinere videtur, eò quòd anno demum 1439, ab Eugenio IV inter purpuratos Patres conscriptus fuerit; quo tempore pridem ad legitimum dominum suum Carolum VII Gallia redierat, cessante Henrici regno & officiatorum eius ministerio. Supersunt quatuor, qui aliquantò propiùs nostra attingunt tempora, Antonius à Prato Archi-Episcopus Senonensis, creatus Cardinalis à Clemente VII, qui sub Francisco primo supremam Iuris Gallici præfecturam tenuit; sub cuius filio Henrico II, Ioan. Bertrandus Tholosas, è primariò Curiæ Tholosanæ, posteà Parisiensis Parlamenti, vt vocant, Præside, Senonensis Archi-Episcopus, eodem constitit ciuilium dignitatum vertice, non tamen Cancellarij nomine, sed sigillorum Custodis, eò quòd adhuc in viuis superesset Franciscus Oliuarius, qui etiam sub sequente Rege postliminiò redijt. Bertrandum autem Paulus IV. Collegio Cardina-

Cardinales Regum & Imperatorum Cancellarij.

Valesio

lium adsociauit. Carolo IX, & Henrico III Regibus, Renatus Biragus Insuber siue Taurinas, Reginæ matris ~~Mariæ~~ Mediceæ gratiâ & fauore, ait Lanouius, ad Pro-Cancellariatum siue sigillorum custodiam perductus est, donec post adeptum Cardinalatum pleno iure illud Gallicæ dignitatis culmen consequeretur. Tandem Cardinalis Vindocinus, Carolus Borbonius sequitur, qui sub Henrico IV sigillorum regiorum custodiam, Birono Collegâ, fidei suæ concreditam administrauit. Transeo ad hereditarios diuersorum Antistitum Cancellariatus, vt tandem huic capiti colophonem suum non inuideam. Inter illos facilè primas obtinent Ecclesiastici Romani Imperij Electores, de quibus suis locis, quantùm satis visum fuit, egimus. Præter illos autem rari admodum occurrunt perpetuarij huiusmodi iuris dicendi Præsides. Scribit autem in Elogijs Cardinalium Antonius Sanderus, sub Guilielmo Croio, Archi-Episcopos Toletanos Regni Castellæ hereditarios Cancellarios esse; quo iure antiquitus Gnesnensis quoque in Poloniâ Archi-Episcopus fuit, dudum illo deiectus gradu. Idem quod de Toletano Sanderus, de Nitriensi in Hungariâ Episcopo affirmat Aubertus Miræus *lib. 4 Notit. Episcop. cap. 18*; qui eodem loco addit, Vesprinien sem in eadem Hungariâ Præsulem Reginæ esse Cancellarium, quam & coronare soleat. Istum honorem in Germaniâ nostrâ obtinet Fuldensis Abbas, de quo per occasionem capite sequente nonnulla proferre constitui. Fortè autem isti in Hispaniâ ac Hungariâ hereditarij Cancellarij ab aulicis diuersi sunt, prout idem in Imperio circa Ecclesiasticos Electores obtinet, non minùs quàm de his quotidianâ praxi, etiam de prædictis istis hoc attestante. Præter recensitos supersunt Cancellarij Academici, è quâ tribu Eistetensem Præsulem atque aliquot alios exempli loco refero. Iste perpetuus est è primæuæ fundationis Diplomate vicinæ Ingolstadiensis Vniuersitatis, tamquam ad suum spectantis Episcopatum, Cancellarius: quo honore alibi partim Episcopi, partim inferiores Prælati, vti Louanij & Witebergæ; partim secularium Principum Consiliarij, vti de Marpurgo suo testatur Kirchnerus; partim etiam Professorum aliquis, quemadmodum in Giessensi quamdiu superfuit, Academiâ seruatum fuisse memini, funguntur. Vti enim Ingolstadij dictus Antistes Dryopolitanus, ita Basileæ eiusdem vrbis Præsul, Francofurti ad Oderam Episcopus Lebusensis, Rostochij Suerinensis Antistes, Lipsiæ Merseburgensis Cancellarios Academicos agunt; quo officio in Erfurtensi Vniuersitate, quam Iacobus Wimphelingius scribit suâ ætate principem inter Germanicas Academias locum tenuisse, ipsemet Moguntinus Archi-Episcopus & Elector fungitur. Louanien sis autē ac Duacena Vniuersitates vtrobiq; nactæ sunt Cancellarios S. Petri Collegiatarum Ecclesiarū Præpositos, vti etiam Witebergensis Academia

Præ-

Præpositum Lichtenbergensem. De Marpurgensi scribit Kirchnerus, illic primum fuisse Cancellarium Academicum Ioannem Ficinum IC, qui apud loci Principem idem in aula munus obibat. Putatur tamen, quamuis dictus modò Auctor id de hoc patriæ suæ Principe satis dubiè referat, per ipsas fundationis literas Hirsfeldensis Abbas, istius Scholæ Cancellarius fuisse constitutus. Atque ad Ingolstadiensis ac Basileensis, aliorumque studiorum exemplum, breui introducendæ (ita sperare & bene ominari liceat) Monasterienſi Vniuersitati, ipsemet etiam loci Episcopus à Ferdinando II, glorioſissimæ memoriæ Imperatore, Cancellarius datus est. Clausula huius capitis esto, quamuis huc, vti nec præcedentia de Academicis Cancellarijs, propriè non spectet, quod vti singulare, nec alibi quod sciam obseruatum, notâsse nil obfuerit, Ordines Ducatus Bauarici suum quoque Cancellarium habere. Hunc enim titulum in Ludouicianâ suâ contra Bzouium Apologiâ præfert Ioan. Georgius Hervvartus Consiliarius Bauaricus & Svvabæ Præses.

CAPVT SEPTIMVM.

DE ARCHI-CANCELLARIATV Abbatis Fuldensis.

INter Archimandritas Christiani orbis vti Benedictini dignitate, opulentiâ, antiquitate principes sunt: ita inter illos post vnum Cassinensem, propter S. Benedicti, non minùs illius Monasterij, quàm ipsius Ordinis Instituto- *Fuldensis Abbatis splendor.*
ris ac proto-plastæ prærogatiuam, tum ditione, opibus, magnificentiâ, tum sessionis ordine & honoris gradu, hic primus ac summus est; ipsum etiã Cassinatẽ hoc ipso superans, quod nõ æquè iste ac ille, Principis Imperij dignitate, licèt fortè olim aliter fuerit, resplendeat. Certè antiquitus longè maior quam hodiè sit, fuit illius Italici Archi-Cœnobij splendor ac potentia; nec sine admiratione legi expressas in claustralis templi valuis æreis, vrbes, castella, arces, &c. quas copiosissimo numero olim loci istius Abbas legitimâ possessione tenuisse asseritur: nisi fortè pleræque è Iustiniani Diuali, vt vocatur, Constitutione, quæ ad calcem Cassinensis Chronici refertur, à Baronio autẽ Cardinale vti spuria & supposititia reijcitur, depromptæ sint. Sed ad Fuldensem reuerto Ecclesiã, quæ non minùs ac Moguntia, post Deũ S. Bonifacio

sanctissimo Germaniarum Apostolo, fortunæ suæ incrementa debet. Huius loci ac Præsulum eius antiquitates ac gesta, luculento Opere Christophorus Brovverus sub Fuldensium Antiquitatum titulo executus est, quem virum inter illos, qui ex Soc. Iesu ad illustrationem Historiæ se contulerunt, nemini secundum esse censeo. Is igitur quamuis de gemino isto Fuldensis Abbatis honore, quantùm instituto suo sufficere iudicauit, in isto præclaro scripto suo, pleraque in medium attulerit: supereſt tamen spicilegij non nihil, quod post messem adeò copiosam, quam tamen ex parte quoque vti publici iuris dudum factã, delibare, & ex vsurâ sortem facere constitui, non videatur contemni posse. Nec agam tamen pluribus de Primatu huius loci Abbatis, cuius primordia, vt in præcedentibus (pag. 71) dictum est, ad Lotharij I Imp. tempora referuntur. Non autem Brovveri fides in dubium vocanda est, qui *lib. 1, Antiq. Fuld. cap. 15*, ex ipsis, vt credere possumus, eius Ecclesiæ monumentis, scribit, *à Siluestro* (eius nominis secundo) iuribus & priuilegijs *additum* fuisse *nominatim, vt Abbas Fuldensis inter cuncta Germaniæ Cœnobia, publico conuentu, primum ordinem sedendo, iudicando, consilium habendo tueatur.* Possunt autem ista non vno modo in concordiam redigi, si vel dicamus, vetus Monasterij illius Buchonij ius, temporis tractu, vt solet, imminutum ac interpolatum, nouâ Pontif. Maximi Constitutione renouatum & in vsum reuocatum fuisse; vel etiam ipsi rei, quæ pridẽ competierat, altero dono Papali, ipsius etiã tituli splendorem accessisse; vel denique primatum istum, qui eo vsque vnius Germaniæ terminis per Siluestrinum priuilegium concluderetur, à secundo Innocentio, etiam per Galliam dilatatum fuisse. Arbitratur tamen Brovverus, quæ de Fuldensi per Galliam proëdr.â dicuntur, ad instar Treuerensis Archi-Cancellariatûs, non nisi de Imperiali Galliâ, regno nempe Arelatẽsi & Burgundiâ capienda esse, quod in medio relinquo; licèt causam non videam, ob quam de omni Galliarum regno intelligi nequeant. Nec enim toto illo latissimo tractu, quamuis ditium Abbatiarum passim refertissimo, Monasterium aliquod reperire est, quod cum Fuldensi æquo Marte videatur de sessionis honore contendere posse. Sed ad alteram Fuldensium Abbatum prærogatiuam, de quâ vnâ hic agere propositum erat, transitum facio, quâ iam tũc *ante quadringentos annos*, vt Brovverus scribit, *istius Ecclesiæ Antistes emicuit, vt Augustæ Archi-Cancellarij titulum gerat.* De re ipsâ dubitari nequit, estque præcipua de temporis antiquitate difficultas, longeque altiùs, ni fallor, quàm à Brovvero fit, origines istius honoris repetendæ sunt. Ac videtur eo loci dictus Auctor ad Lotharij II Imp. tempora oculos intendisse, à quo tamen cùm dicat, istam *Sedis* huius *prærogatiuam Berthoum Abbatem ceu à maioribus olim acceptam vindicâsse*; ipsemet sine dubio fatetur & consentit, ad anteriora tem-

tempora primordia eius honoris reuocari debere. Annum autem, vel saltèm Imperatorem sub quo cœperit, frustra quis tentet vestigare; obstantibus vetustatis caligine, & Scriptorum silentio. Ad minimum igitur suspicari, si non affirmare, licebit, ad Othoniana felicia tempora initium huius Archi-Cancellariatûs redigi posse. Admodum enim verisimile duco, quamprimùm Moguntina Sedes sibi proprium & hereditarium fecit ipsius Augusti, Imperijque per Germaniam Archi-Capellanatum, quod sub primo Othone contigisse suo loco expensum & ostensum est; etiam de Fuldensi Ecclesiâ non absimili honore sublimando, cogitatum fuisse. Atque omnino Brovvero assentior, *lib.1 Ant. Fuld.cap.16*, scribenti de causâ proëdriæ Fuldensis, *non vereri se asserere tam eminentis fastigij splendorem, beati Bonifacij memoriæ, aut meritis tot Præsulum, qui ex Fuldensi Monasterio ad vrbis Moguntiaci Cathedram Germaniæ primam euecti, olim datum fuisse.* Sed quæ ille disiunxit, rectiùs, ni fallor, copulentur, & gemina eius rei causa statuantur. Diuersi namque ex Fuldensibus Abbatibus, ad Sedem Moguntinam, vt Brovverus alijque tradunt, translati; quos inter etiam Hatto II fuit, proximus Wilhelmi Archi-Episcopi, filij Othonis I successor, quos dulcem retinuisse pristini in sanctioris vitæ cultu domicilij memoriam, eiusque gloriæ & commodis propagandis impensè studuisse probabile est; ac tantò feliciori successu in isto honorum fastigio cogitata sua perficere poterant, quòd pro illius loci exaltatione sollicitiessent, cuius non minùs ac ipsius Moguntinæ Ecclesiæ, Apostolus Germaniæ Bonifacius, sanctissimus Præsul & Martyr, ac præcipuæ apud Imperatores ac Principes omnemque Germanorum populum venerationis, Conditor & Fundator esset. Hactenus tamen doctissimi, quem dixi, viri coniectura minùs perfecta est, quòd propioris causæ indagationem præterierit. Nec puto vel olim in omni antiquitate repertum esse, vel hodiè, quàm latè patet, Christiano in orbe supereſse exemplum Abbatis, Episcopis & Archi-Episcopis in ordine & honore sessionis prælati, solius intuitu monasticæ prælaturæ; quæ etiam res in hierarchico Ecclesiæ statu non minimam paritura esset confusionem, & Episcopalis status vilipendium. Omnino igitur dicendum erit, non alio respectu iam inde à seculis multis, Fuldensem Abbatem non nisi vni Moguntino cessisse, reliquis omnibus, ne ipso quidem Colonienſi Archi-Episcopo, nec etiam Magdeburgensi, quamuis Germaniæ inter Episcopos & Metropolitanos Primate exceptis, præcedentiâ & sessione potiorem fuisse, quàm quòd Imperatricis Archi-Cancellariatum gereret. Ac recordor historias lectitando obseruâsse, ne priscis quidem illis seculis, vel ipsummet Cassini montis Abbatem, cùm vel maximè auctoritate & potentiâ vigeret, cuiquam Episcoporum prælatum fuisse, quamuis ipse *S. Germano*, quæ ciuitas

destru-

destructo dudum Casinatium oppido, ad montis radices vicinas è cineribus eius surrexit, Episcopali iure præsit & imperet. Ac tantò firmiùs, quam dixi, opinionem amplector, quòd repererim Herm. Kirchnerum, *lib. 1 de off. & dig. Cancell. cap. 3*, eiusdem sententiæ esse. Quæ igitur dixi suprà de dignitatis & præeminentiæ Buchonici Antistitis huius vetustate, antiquissimi rerum nostrarum Historici testimonijs suis firmant; indeque ob causam præallegatam tantò verisimiliùs apparet, ijdem temporibus ipsummet Archi-Cancellariatum, vtpote sine quo tam altus & insolitus Abbatis Archi-Episcopis prælati honos, nullo colore consistere & defendi possit, simul cœpisse. Illi enim Auctores cùm suis demum temporibus, ab vno atque altero è primarijs Ecclesiastici ordinis Principibus Fuldensi Abbati statûs quæstionem fuisse motam commemorent; de vetustissimo eius iure & longissimi temporis possessione ac obseruantiâ non reticent. Factum eius rei initium est sub Henrico eius nominis quarto Imperatore, tunc admodum adhuc puero, nec aliâ quàm eâ ipsâ pueritiæ eius occasione, vti iam alijs rectè obseruatum est, non addita tamen, quam comperi, verâ eiusmodi contentionis causâ, quæ etiam non nisi obscurè admodum, & vt sine aliunde accersitâ luce vix intelligi, quæ scribuntur, possint, ab Auctore huius rei proditur. Lambertus igitur Schafnaburgensis scribens ad an. Christi 1063, qui fuit regni Henrici IV septimus, ætatis eius duodecimus, plus minùs: *Consuetudo erat in regno*, inquit, *per MVLTOS retro maiores obseruata, vt semper in conuentu Episcoporum, Abbas Fuldensis Archi-Episcopo Moguntino proximus assideret. Sed Episcopus causabatur neminem sibi intra diœcesin suam post Archi-Episcopum debere præferri, animatus ad hoc & opum gloriâ, quâ antecessores suos longè supergrediebatur, & temporis opportunitate, quia Rege adhuc in puerilibus annis constituto, singuli quod sibi animus suggessisset facere impunè poterant.* Hæc à Lamberto, in laudes sui instituti hominum aliquantò proniore ita narrantur, vt satis appareat, si vti referuntur vtrimque gesta sint, Episcopi fuisse causam peiorem, egisseque illum paulò iniquiùs cum Abbate Widerado. Mihi, vti propositum non est, cruentas istiusmodi de loco & gradu conflictationes, de quibus longè magis lugubria & abominãda in sequentibus idem Auctor pluribus commemorat, probare & propugnare: ita non dubitem Episcopi causam ex parte coloratiorem credere, ac sustinere, non vsque adeò absurdam fuisse prætensionem eius. Fuit enim is tunc temporis Hezilo nomine, magnus Parochiæ suæ pauperumque benefactor, adeoque præclarus & insignis vir, qui non ita temere incusandus sit excitatæ sine probabili fundamento controuersiæ. Nam quas Lambertus commemorat allegationes, opum nimirum & regiæ pueritiæ irritamenta, non ita nudè admitti posse videntur, licèt familiæ splendor & iunctus sanguine præpotens

Saxoniæ

Saxoniæ Marchio Echbertus, ipsius Regis patruelis, grande præterea momentum esse potuerint, ad capescendos maiores spiritus. Verùm fuit, vltra præmissa, incitamen longè acrius & validius, quòd ad annum præcedentem, quo Rex puer è sinu & disciplinâ matris infelici consilio abreptus, in procerum deinceps potestate fuit, ita narrat idem Auctor: *Episcopus* (Anno Colonienſis) *vt inuidiam facti mitigaret, ne videlicet priuatæ gloriæ potiùs, quàm communis commodi ratione hæc admississe videretur; statuit vt Episcopus quilibet, in cuius diœcesi Rex tunc temporis moraretur, ne quid detrimenti respublica pateretur, prouideret, & causis quæ ad Regem delatæ fuissent potissimùm responderet.* Hanc ego veram causam iudico, ob quam tunc temporis Hildesheimensis Episcopus vti Imperij administrator, & Regiæ pueritiæ rector, indecorum censuerit, Abbati loci prærogatiuam, iuxta veterem, ad præsentem casum eius iudicio non extendendam, consuetudinem permittere : atque eò referenda sunt, quæ antea è Lamberto, ab Episcopo de diœcesis suæ finibus allegari audiuimus. Aliàs enim si quouis tempore, Episcoporum vnusquisque eiusmodi obiectionem Fuldensi mouendam censuisset, nullibi præterquam in solâ Moguntinâ diœcesi iure suo potuisset vti. Ac videtur sanè eò respicere & restringere Abbatis hanc præeminentiam Arnoldus Lubecensis, de quo mox dicetur, qui non nisi de Moguntinâ vrbe loquitur ; sed potior est fides & auctoritas prædicti grauis & veracis Scriptoris, qui ait SEMPER in conuentu Episcoporum Fuldensi prælationem competijsse, loci alicuius exceptione non additâ. Secundum, cuius memoria ad nos delata est, de Fuldensi sessionis iure litis exemplum, in ipsâ Romanâ Vrbe contigit, quo tempore Lotharius II Imp. ab Innocentio Papa II. Imperiali coronâ insignitus est, anno Christi 1132. Narrat hoc, quem in antiquis Fuldensis Ecclesiæ monumentis Christophorus Browerus reperit, sequentibus verbis antiquus atque, vt videtur, domesticus Scriptor: *Ipso eodem die consecrationis Imperatoris & Imperatricis, Domino Apostolico & ipsis considentibus, orta est dissensio inter ministros ipsius Abbatis & Archi-Episcopi Magdeburgensis de Primatu sedendi: cumq; pro hac re vicissim propè vsque ad effusionem sanguinis altercarentur, superueniente Abbate, & iustâ defensione pro huiusmodi rationem reddente, fauente sibi Imperatore, vt ab initio Fuldensis Ecclesiæ omnibus antecessoribus suis concessum erat, Primatum sedendi inuito Archi-Episcopo obtinuit.* Hactenus ille. Fuit autem eius loci Archi-Episcopus tunc temporis S. Norbertus Præmonstratensis Ordinis inceptor ; quem ab huiusmodi contentionibus plurimùm abhorruisse, eoque haud difficilem fuisse istius motûs sedationem, facilè mihi persuadeo. Nec potuit tamen eidem valdè absurdum videri, si Abbatum Primas, Primati Archi-Episcoporum loco cessisset: ac præterea deerant fortasse, vel parùm memoriæ obuersabantur habita

aliquando extra Germaniæ limites, atque adeò in ipsâ Curiâ Romanâ, in oculis summi Pontificis, inter contemptores mundanæ vanitatis, scandalosa iudicri honoris & vanæ gloriæ certamina. Porrò quod Scriptor ille, quem audiuimus, de initio Fuldensis Ecclesiæ dicit, duriusculum apparet & non vnâ de causâ reijciendum, quas tamen in præsentiarum attingere abstineo. Tertia denique contentio Moguntiæ contigit sub Friderico I Imp. Barbarossâ ab Italis dicto, an. 1182, (ita Arnoldus Lubecensis; Crantzius, eumque secutus Brovverus, an. 84 designant, quibus Mariani & Lamberti continuatores ceterique vetustiorum consentiunt,) quo tempore Henricus VI, filius eius, in celeberrimo Imperij conuentu, pro illorum temporum more, solennibus cæremonijs militiæ nomen daturus erat, per gladij accinctionem. Ibi enim Fuldensis Abbas (fuit is Conradus II) de Philippo de Hinsberg Colonienſi Archi-Episcopo sequentem in modum conquestus legitur apud Arnoldum Lubecensem, *lib. 3 Histor. Slauorum, cap. 9*, è quo Crantzius & Münsterus, quos Brovverus citat, sua hausérunt: *Diù est quod Dominus Colonienſis qui assidet, Fuldensem Ecclesiam siue Cœnobium, quod gratiâ Dei & vestrâ munificentiâ regimus, quodam suo iure priuat, &c.* mox addit: *Fuldensis Ecclesia hanc habet prærogatiuam ab ANTIQVIS Imperatoribus traditam, vt quotiescunque Moguntiæ generalis Curia celebratur, Dominus Archi-Episcopus huius Sedis à dextris sit Imperatoris, Abbas Fuldensis finistram eius teneat; & quia DIV Dominus Colonienſis, nos in hac parte supplantat, rogamus vt vestro interuentu hodiè locum nobis debitum non vsurpet.* Quod de Moguntiâ hic Auctor particulariter tradit, iam reiecimus, Lambertum secuti; ac vidimus præterea è præcedenti exemplo, non in omni tantùm Germaniâ, sed etiam in ipsâ Italiâ Fuldenses istum sessionis primatum sibi asseruiisse, ac Imperatoris etiam decreto integrum conseruâsse. Causam autem quod attinet, ob quam videantur Colonienses Antistites, vti priùs longissimo tempore factum fuerat, præcedentiam Fuldensi deinceps permittere noluisse, non videtur alia à quoquam dari & ostendi posse, quàm Imperij per Italiam Archi-Cancellariatus, quem Philippi prædecessores ante seculi circiter lapsum consecuti erant. Eò enim pertinere crediderim illud Arnoldi DIV, quod etiam vlteriùs protendi posse vix videtur Igitur indignum iudicârunt Agrippinates Archi-Episcopi, postquam ipsius Principis Romani, Archi-Cancellarij effecti essent, deinceps gynæceo apparentibus cedere. Hæc autem litigia, vt fieri assolet, variæ interpretationis res fuerunt, ac non rarò contra Religiosos iniquioris, conquerente iam tunc suo æuo Lamberto Schafnaburgensi, Wideradum Henrico IV Imp. Abbatẽ *multùm grauâsse odium nominis Monachici, quod inueteratâ malitiâ homines seculi semper obfuscare atque opprimere conati sint.* Conqueritur etiam Brovverus patrum

trum auorumque memoriâ *honorem eum* (proëdriæ) bonis artibus sumptum, primos fugillare ausos esse Sebastianum Münsterum, & Albertum Crantzium, quem *præcipitis censuræ Scriptorem* vocat. Quam autem Crantzius inuectiuam instituit, ex Arnoldo Lubecensi (*lib. 3 Chr. Slau. cap. 9,*) mutuatus fuerat; apud quem multò prolixior & acrior extat. Dignus tamen fuit, vel hoc nomine perstringi alterius vice Crantzius, quòd passim veterum loca, quasi sua, historijs inserat, ac bonâ fide ad longum describat, nec tamen aliquem illorum vel solâ nominatione dignetur; oblitus illius Pliniani: *Plenum ingenui pudoris esse, fateri per quos profeceris.* Sed mitto hunc, & ad institutum regredior. Quicquid igitur de istiusmodi agonibus, quorum censorem me non fero, quisque iudicare eligat; priscæ certè modestiæ hoc insigne specimen illa ipsa, quantumuis contentiosa, arena exhibet, quòd ante Wolfgangi Theodorici ab Eusickheim Abbatis tempora, non temere repertus sit decessorum eius aliquis, qui titulos suos Archi-Cancellariatûs adscriptione auctiores fecerit, ad annum vsque, vt ait *Auctor de officio & dignit. Cancell.* 1559. Nec puto supereſſe Diplomata Augusta, Fuldensis Abbatis subscriptione insignita; quorum hactenus apud Auctorem aliquem, qui publicè prodierit, memoriâ supereſſe non comperi. *Neque annalis,* ait is, *neque diaria, eius* (Archi-Cancellariatûs tituli) *vsquam mentionem faciunt; neque annotatum est in Decretis (Recessus vulgò vocant) Imperij, quemquam ad annum vsque 59, ex Abbatibus Fuldensibus eo titulo vsum fuisse.* Nec tamen inde rectè quis inferat, malè feciſſe prædictum Wolfgangum, eiusque Successores, quòd vti cœperunt & perseuerant ijs honorum titulis, quibus præcedentes vel per modestiam, vel pro temporum simplicitate abstinuerant; eò quòd probabile sit, non minùs illis fuisse legitimas nouitij instituti sui causas, quàm hi vetusti moris sui habuerint. Simili enim ratione & modo, Episcopi Herbipolenses, cùm per secula aliquot Ducis Franconiæ titulo, quamuis iam inde à veterum Ducum intermortuâ stirpe, dono Cæsareo ipsum Ducatum possiderent, vti abstinuissent; sub Friderico demum tertio, Maximiliani I patre, illum assumere consultum putârunt. Albertus enim Brandeburgicus, Burggrauius Noribergensis, quem ob bellicam virtutem, resque fortiter gestas *Germanicum Achillem* vocârunt, heros equidem intrepidus & magnanimus, sed minimè iucundus in propinquo colentibus vicinus, eò quòd plurima teneret passim in Franconiâ loca, à Pio II Pontif. Max. cui gratus & æstimatus fuit, testantibus id diuersis Scriptorum eius locis, Conuentûs Mantuani tempore, istius Ducatûs titulaturam petierat & impetrauerat; quem vt aliena iura inuadentem tantò validiùs repellerent, publicâ præscriptione suâ profiteri coacti sunt Herbipolenses Antistites, quæ eò vsque magis dissimulauerant, quàm neglexerant. Me-

moriam huius rei, nescio an alibi præterea obuiæ, Continuator Chronici *Andreæ Ratisbonensis* conseruauit. Verùm, vt ad Fuldensem reuertar, quamuis antiquitus, vt non semel repetere debui, eadem fuerit Archi-Cancellarij & Archi-Capellani in hac materiâ nostrâ significatio; videtur tamen cum tempore, vt dignitatum communicatio inter plures tantò commodiùs instituretur, discrimen successisse. Non obstante enim, de quo egimus, Fuldensis Imperatricis Archi-Cancellariatu, reperio S. Maximini etiam apud Treueros suburbanum ditissimum Abbatem, eiusdem Augustæ Archi-Capellani officio & titulo honoratum esse. Auctor mihi eius rei est Ioachimus Cluten *in Sylloge rerum quotidianarum, num. xxiv, lit. K*; qui tamen nec auctorem eius rei laudat; nec quo tempore, quo largitore ista gratia obtenta sit, addit. Fuldensi autem (quo relato finiam) Carolus etiam IV Imp. non parcus talium, veteres honores nouo priuilegio accumulatum iuit, assignatis illi in Augustæ coronatione partibus suis, quæ successoribus eius, contrà ac de sessione pridem factum est, quoties res ita exigit, intactæ permanent. Erant quæ de *Comitijs & Ordinibus Imperij*, de *Nobilitate* etiam *Germanicâ* tum Imperio immediatè, tum præter Cæsarem Principibus præterea, alijsve subiectâ præmissis adiungerem: visum tamen fuit, non vnâ de causâ, ista eiusque generis alia in aliud reseruare tẽpus, ac scripturienti calamo, hac quidẽ vice, ferias indicere.

QVÆ SEQVVNTVR PARTIM Notarum, partim Additamentorum, suis quæque locis inseri postulantium, nomen profitentur.

Pagina 4, lin. 10 à fine. De Cancellarijs vide etiam Iul. Cæsarem Bulengerum, *lib. 2 de Imper. cap. 23*: Stephan. Forcatulum, *de Imperio & Philosophiâ Gallorum, lib. 7, pag. 1081*: Conradum Lancellottum, *lib. 1 de Iure publ. person. cap 1, §. 4, pag. 351*: Christoph. Leheman, *Chron. Spir. lib. 2, cap. 7*: Besoldum, *in Thesauro practico, pag. 151*: Speidelium, *in Notabilibus, pag. 169*: Chassan. *in Catalogo Gloriæ mundi, part. 7, consid. 7 & 8*: Petrum Gregorium Tholosan. *in Syntagm. Iuris vniu. lib. 47, cap. 29.*

Rudbertus Archi-E-

Pag. 8. fin. De hoc Ruidberto sequentia scribit Kirchnerus *lib. 2 de off.* Can-

Cancell. c. 4: *Suprà quidem Caroli Magni nostri Cancellarium Rubbertum audiuimus, quem tanta Martis gloriâ & felicitate contra Nortmannos Imperij hostes enicuisse, vt Machabæi nomen meruerit, Annales eius temporis celebrant.* *piscopus & Archi-Cancellarius.*

Pag. 9, lin. 16. Vixit Caroli æuo Amalbertus Episcopus Virodunensis; quem signato an. 773, adhuc in viuis egisse, inde puto constare, quòd successor eius Petrus Italicus ad seq. annum 774 repositus legatur apud Ioan. Chenu *in Catalogo eius loci Episcoporum.* *Amelbertus Episc. Virodun.*

Pag. 10, lin. 6. Corrigendus hic error; fuit enim Argentinensis, non verò Curiensis Antistes. Deinde re accuratiùs perpensâ, hûc Cancellarium, illũ ipsum Episcopum fuisse satius habeo. Vix enim abest vt credam hunc esse Abbatem illum Vallis S. Gregorij in Alsatiâ, quem Carolus Magnus inde euocatum, Argentinensi diœcesi vigesimum sextum in ordine Episcopum præfecit. Præfuit illic annis octo, ac mortuus est an. 812; vt temporis ratione nil fingi concinnius possit. *Rado Episcopus Argentinensis.*

Pag. 16, lin. Inueni fuit & alius Lothario Archi-Cancellarius, Agilmari nomine; cuius apud Guiliman. *de rebus Heluetiorum, lib. 3, pag. 338,* memoria supereſt. Eius nomine subscriptum est Lotharij Diploma confirmatorium, factæ à patre Ludouico donationis Monasterio Luciariæ. Verba subscriptionis hæc sunt: **Richardus ad vicem Agilmari recognoui. Datum VII Kal. Anno Christo propitio Imperij II Lotharij Pij Imp. XI. Indict. III. Actum Strasburg ciuitate, &c.** Huius Imp. tempore Agilmarus Archi-Episcopus Viennensis in ordine quinquagesimus tertius, S. Adonis, cuius Historiam habemus, proximus decessor, sedit & præfuit; qui etiam Romanensi Abbatiæ suæ diœcesis rescriptum impetrauit, quod refert *in Antiquit. Vienn.* Ioan. à Bosco, *pag. 51:* è quibus etiam Ioan. Chenu videtur mutuatus esse, quæ *in Catalogo* de hoc memorat. Hunc vix dubitem esse Archi-Cancellarium illum, cuius è Guilimano meminisse visum fuit. *Agilmarus Archi-Episcopus Viennensis.*

Pag. 16. Gauzlenus fuit Abbas Cœnobij S. Vincentij & S. Germani, vti constat ex Auctore *libri V Historiarum* Aimoino ante-hac perperam attributi, *cap. 34.* Videtur præterea etiam S. Dionysij Abbas fuisse; vti colligo *ex cap. 37 eiusdem libri.* Interfuit expeditioni Caroli Calui contra Ludouicum Iuniorem Germaniæ Regem, & acceptâ ad Andernacum clade, cum multis Procerum alijs captus fuit. *Eod. cap. 34.* Hac occasione contractâ familiariori cum prædicto Rege Ludouico amicitiâ, qualiter post Ludouici Balbi obitum contra pupillos eius conspirationem inierit, sed prudentiorum solertiâ fraudulentos conatus suos eludi viderit; idem Auctor *cap. 39* eleganter enarrat, & quidem eo ipso, quo gesta sunt, anno. *Gauzlenus Abbas & Archi-Cancellarius.*

Erneſtus Cancellarius.

Pag.20,lin.4 à fine. Guilim. *lib. 2 de rebus Heluet. pag. 239,* refert Paginam Ingenuitatis, ſiue literas Manumiſſionis eiuſdem Imp. Ludouici, quam Teodmari Archi-Capellani vice idem Erneſtus recognouit an. 906, regni Ludouici VII, in Rotvvila; è quâ ſubſcriptione comprehenditur Erneſtum, qui ſuperioribus annis Notarius fuerat, eo tempore Cancellarium extitiſſe.

Theodulphus Curienſis Epiſcopus.

Pag. 21, lin.23. Vixit iſto æuo Epiſcopus hoc nomine Curienſis, qui ſedere cœpit an. 887, & peruenit ad annum 913. Dubito autem an probabiliter is cum Notario Ludouiciano idem ſtatui poſſit; eò quòd necdum inuenerim apud quenquam, Epiſcopos Notariorum ſiue Secretariorum munus illis temporibus obiuiſſe.

Brunoldus Epiſcopus Argentinenſis.

Pag. 22, lin.12. Argentinenſes circa hæc tempora Epiſcopum habuerunt in ordine 32, quem Bruſchius *in Catalogo* ab aliquibus Grimoldum, ab alijs Brunoldum dici ſcribit, quem planè cum hoc Ludouici Cancellario primùm, poſtmodum Archi-Cancellario, eumdem cenſeo.

Villibertus Archi-Epiſcopus Colonienſis.

Pag.22, lin.23. Parùm abeſt, quin mihi perſuadeam, eſſe hunc Wilibertum illum (parum enim in nominibus diſcriminis eſt) qui gratioſus in aulâ Ludouici ſenioris vixit, ac poſtmodum ad Colonienſem Archi-Epiſcopatum euectus fuit; quem honoris gradum ſub Arnolphi Imp. regimine præcipuè tenuit. *A Carolo* enim *Craſſo, populo Agrippinenſi,* ait Merſæus, *diligenter commendatus, conſecutus eſt Pontificatum per legitimam electionem,* obijtque an. 889. Fuit priùs Colonienſis Preſbyter, *doctus pariter,* ait idem Auctor, *ac pius.* Fuit Legatus Ludouici Regis ad Caroſum Caluum fratrem, vt legitur *lib.5 Aimoini, cap.33,* ſeu potiùs Appendice illius Chronographi: nam quintus liber ille iſti Scriptori erroneè tribuitur, vti Frehero, Voſſio, alijſque rectè obſeruatum eſt.

Pag.23, lin.16. Hunc eumdem Rabanum Ludouici Pij Secretarium fuiſſe ſcribit Chriſtoph. Brovverus *lib.1 Antiq.Fuld.cap.17.*

Pag.ead.lin.19. Extat integrum diploma apud Guilimannum *de Rebus Helueticis lib.3, pag. 347,* hac ſubſcriptione: *Comeatus Notarius ad vicem Rabbani recognoui. Data XII Kal. Aug. Anno Chriſto propitio XX regni Domini HLudouici Sereniſſimi Regis, in Orientali Franciâ, Indictione I. Actum in Regenſburg, in Dei nomine feliciter, Amen.*

Hildenus Epiſcopus Auguſtanus.

Pag.26, linea 5 à fine. Fuit ſub Henrico Aucupe Auguſtanus Epiſcopus Hildenus, qui tamen cum hoc Notario idem cenſeri non poteſt. Diploma Henrici Imp. quod Hilduinus ſcripſit, annum habet adſcriptum 952: Hildinus autem Auguſtanus obijt anno 923. Fuit etiam hoc nomine circa hæc tempora Archi-Epiſcopus Mediolanenſis, Stephani IX familiaris, qui coronauit

Hugo-

Hugonem Ludouici III filium, Burgundiæ Ducem, in Regem Italiæ. Is Monachus Gallus fuit.

Pag.29,lin.12 à fine. Reperio tamen iam tunc præcedenti anno 952, *Brunonem* Cæsaris Archi-Capellanum fuisse, in literis Imperialibus ap. Christoph.Hartm. *in Annalibus Eremi Helueticorum,pag.57.*

Pag. 29,lin.21. Eiusdem generis sunt *Archi-Abbas*; quem titulum sibi competere prætendit Abbas Hersfeldianus, siue, vt vulgò vocatur, Hasfeldiensis in Archi-Episcopatu Bremensi: *Archi-Typographus*; quam appellationem à Philippo II Hispan. Rege obtinuit Christophorus Plantinus: (ipse in editione Bibliorum Regiorum, se Proto-Typographum vocat:) *Archi-gymnasium*; quam prærogatiuam præ alijs generalibus studijs obtinuit à Friderico III Imper. Academia Viennensis ad Danubium, vt Georgius Ederus testatur *in Catalogo Rectorum Vienn.pag.25*: & apud veteres, Deæ Cybeles Sacerdotũ princeps *Archi-gallus*. Inuenio etiam apud Sirmondum *tomo 3 Concil Gallic.* in subscriptione Synodi Ticinensis,an. 876,sub Carolo Caluo celebratæ,Bosonem Ducem vocari *Archi-ministrum* Sacri Palatij, qui mihi non videtur alius esse posse,quàm quem Franci olim Maiorem domûs vocabant, hodie supremum aulæ Præfectum nominant. Deinde Leonis X tempore *Archi-poëtæ* appellatio vsurpari cœpit: quo nomine tamen per aulicos sales magis, quàm seriò dictus fuit Camillus Quernus, Calaber extemporaneus versificator, inter illius aulæ ludibria primi ferè nominis. Iouius *in Elogijs*. Eiusdẽ denique generis sunt *Archiatri* alijs Proto-Medici dicti; *Archimandritæ, Architecti, Archiguberni* (*Trebel. Pollio,*) &c. Atque ne putemus solius honoris intensionem esse, *Archimimi* apud Sueton. & *Archipiratæ* apud Ciceronem.

Pag.53,lin.16. Petrum Episcopum Papiensem, qui sub Othone III factus est Romanus Pontifex, Ioannes XIV dictus, (Platina XV numerat) Othonis II. Archi-Cancellarium fuisse, auctor est Seuerinus Binius *tom.3 Concil.part. 2, pag.160*, in vitâ illius Pontificis; quod non de alio, quàm Italico Archi-Cancellariatu intelligi potest; Germanicum enim, vt perpetuâ ac continuâ successione eius Sedis Præsulum sufficienter ostensum est, iam tunc Moguntini hereditario iure tenebant. *Petrus Episcopus Papiensis.*

Pag.36 ante finem. Non intermiserim de hoc Italico Colonienſis Archi-Episcopi Archi-Cancellariatu referre locum Godefridi Monachi, qui de Philippo Archi-Episcopo tractans ita scribit, ac si is iam ante electionem istum honorem obtinuerit. Verba eius hæc sunt *pag.242 edit.Freherianæ*, sub an.1167: *Ecclesia Colonienſis Philippum maioris Ecclesiæ Decanum & Sacri Imperij per Italiam Archi-Cancellarium, cùm adhuc in Italiâ teneretur, Pontificem sibi elegit.* Satius autem puto, Godefridum illic aliquid præposteri commisisse; præsertim cùm in præ- *De Archi-Cancellariatu Italico.*

in præcedentibus sub illo ipso anno eundem Philippum simpliciter Cancellarium vocâsset.

Engelbertus Colon. Archi-Episcopus Archi-Cancell. Italiæ.

Pag.40,lin.10. Apud Sigonium etiam *lib. 2 de Episcopis Bononiensibus*, huiusmodi subscriptio extat in fine literarũ, quibus Bononiensis Ecclesiæ priuilegia confirmantur à II Friderico: *Ego Conradus Spirensis & Metensis Episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, vice Domini Engelberti Colonien sis Archi-Episcopi & totius Italiæ Archi-Cancellarij recognoui, &c. an. 1220, &c. In Monte Malo prope Vrbem.*

Pag.44,lin.11. Meminit Kyriander, *de rebus Treuer. parte* XV, Diplomatis Ludouici Bauari Imp. quo inter cetera Treuerensi Achi-Episcopo, Archi-Cancellariatûs Gallici ius confirmauit.

De Archi-Cancellariatu & Regno Arelatensi.

Pag.46. In literis Electorum ad Benedictum XII Papam, *ap. Freher. tom. 1 rer. Germ. p.427*, Balduinus Archi-Episcopus Treuerẽsis simpliciter se Galliæ scribit Archi-Cancellarium, nullâ factâ Arelatensis regni mentione. Arelati, tanquam regni Burgundici Regiæ, meminit etiam Otho de S. Blasio *in appendice ad Othonis Frising. libros Chronicorum*, *cap.21*; vbi semel atque iterum Burgundiæ *Archi-solium* vocat. Hanc ciuitatem, iam indè à Flauij Constantini Tyranni tempore, eius qui contra Honorium res nouas molitus est, eminentiæ suæ primordia repetere, & ab illo in Imperij Sedem, Prouinciarum, quibus exinde Septimaniæ nomen inditum fuit, caput ac metropolim erectam & electam fuisse, scribit Iosephus Scaliger *in Lectionibus Ausonianis lib.1, cap.24.* Verùm Constitutio illa, quam Scaliger dicto Tyranno; Card. Cusanus, *lib. 3 de Concord. Cathol. cap.35*, ipsi Constantino Magno tribuit; Honorio ac Theodosio veriùs adscribit Theophilus Raynaudus *de patriâ S. Ambrosij, puncto 7*, ex Hincmari epist.6, cap.17, & veteri Codice Arelatensi. Mirum igitur non est, si deinceps etiam, multarum instar vrbium aliarum, in Ecclesiasticâ dignitate augmentum consecuta sit, & ad altiora conscenderit. Antiquitus enim Episcopum habuit Viennensi Archi-Episcopo Suffraganeum, postmodum in Sedem Metropoliticam sublimata reperitur; ac non pallio tantùm Archi-Episcopali honorata est, sed diuersi etiam Præsides ipsi subiecti sunt. De re inter omnes constat; de tempore non item. Etsi autem illud minùs certum sit, longè tamen antiquius est Metropolitanum Arelatensis Antistitis ius, quàm à Iosepho Scaligero asseritur, in Epistolis ad Carolum Labbæum, *lib.4, Epist.345 & 346:* quamuis videatur sententiam eius amplecti Aubertus Miræus *in Notit. Episcop. orbis Christiani lib.5*, voce *Arelate.* Scribit citatus Scaliger, se Aquis Sextijs vidisse Notitiam Episcoporum Galliæ, ante trecentos annos scriptam, in quâ adhuc Arelatensis Præsul non Archi-Episcopus, sed Episcopus sub Metropolitâ Viennensi censitus fuerit. Parum autem fidei meretur ista Scaligeriana

geriana Notitia, eò quòd vel manifestè erronea sit; vel in Viennensis Ecclesiæ gratiam composita, partium studium nimis prodat. Fuisse antiquitus inter Viennam & Arelatum, de iurisdictione & superioritate contentionem, non ambigitur; sed dudum decisa & definita fuit controuersia ista, vt statim referam, adeoque certum est, iam inde à Caroli Magni æuo, Arelatensem Archi-Præsulem inter reliquos Galliarum Archi Episcopos Sedem ac gradum suum tenuisse. Ab Eginhardo enim, in vitâ prædicti Caroli & relato illic testamento eius, inter Metropoliticas Regnorum illius Sedes decimo-quinto, adeoque proximo ante Viennam loco, Arelatum recensetur. Extat etiam Tomo 3 Conciliorum Galliæ à Sirmondo editorum, Concilium Valentinum 3, sub Lothario I Imp. an. 855, cui Rodlandus Arelatensis inter reliquos interfuit, & Archi-Episcopis accensetur. Ad eumdem supereſt Nicolai I Papæ Epistola, in quâ itidem Archi-Episcopi titulo decoratur. Sed & in Francofordiensi, habitâ sub Carolo Magno Synodo, an. 794, Canon extat in ordine octauus, qui non tantùm Metropolitici iuris Arelatensis meminit; sed etiam diuersis veterum Pontificum pro illo datis decretis & sententijs insistit, denuoque illud stabilit & confirmat. Eius verba hùc transcribo: *De altercatione Vrsionis Viennensis Episcopi & Elisanti Arelatensis Episcopi lectæ sunt Epistolæ Beati Gregorij, Zozimi, Leonis & Symmachi, quæ definierunt, eò quòd Viennensis Ecclesia quatuor Suffragoneas habere Sedes deberet, quibus illa quinta præmineret, & Arelatensis Ecclesia nouem Suffraganeas habere deberet, quibus ipsa præmineret.* Extant præcitatarum literarum aliquæ in Antiquitatibus Viennensibus Ioan. de Bosco; è quibus colligere videor, Arelatensem Metropolim iam inde à S. Leonis Papæ tempore origines suas repetere. Hadrianus enim Papa inter alia hæc scribit Berterico Viennensi Archi-Episcopo: *Habeat vnaquæq; Metropolis ciuitates sibi subditas, quas Beatissimus Leo post Chalcedonensem Synodum singulis Metropolitis distinxit.* Extat illa S. Leonis ad Arelatensis Metropolis Episcopos Epistola *Tom. 1 Conc. Galliæ Sirmondi, p. 91*, vnà cum Episcoporũ ad ipsum; & apud Baron. *Tom. 6, Annal.* Omnium autem antiquissima inter contendentes de primatu Arelatensium & Viennensium Præsules ordinatio Taurinensi Concilio anni 397 continetur, apud eumdem Sirmondum, *pag. 28.*

Pag. 46, lin 10 à fine. Neapoli & Granatæ adde etiam Hispanicam Valentiam Omnes tamen illæ à ciuitatibus inditæ regnis denominationes, recentiores sunt & antiquissimis seculis incognitæ.

Pag 51, l. 6. Post Brunonem hìc inserendus est *Hugbertus*, qui vice Brunonis Archi-Capellani recognouit Othonis Diploma an. 952, Eremitis siue Monachis in *Einsideln* in Heluetiâ datum, apud Christoph. Hartmannum *Chronici Eremitici pag. 67.* *Hugbertus Othonis I Cancellarius.*

Ludolphus Archi Episcopus Treuerēsis.

Pag.51,lin.7. Sub Othone III, Treuerensi Ecclesiæ Antistes præfuit Ludolphi nomine; quem an cum hoc Magni Othonis Cancellario eundem censeam, animi pendeo: Sedere enim is cœpit, secundum Bruschianum Catalogum, an.989; obijt sub Henrico Sancto, an. 1008, vt Herm. Contractus auctor est. Ab anno igitur 948, quo prædictus Ludolphus Sacellanus Concilio Treuerensi interfuit, ad annum vsque 1008, sexaginta anni sunt; vt necesse sit admodum decrepitum obijsse, si cum Archi-Episcopo idem fuerit. Certè Saxonem fuisse hunc Præsulem, & Bruschius & Kyriander scribunt; possitque videri, occasione legationis prætactæ, loci amœnitate, ac Ecclesiæ splendore captus, tum hominum notitiæ & fauori insinuatus illam concupiuisse & meruisse Cathedram.

Folginatus Cancellarius.

Pag. 45, lin. 12. Folginati tamen nomen reperitur etiam in binis Othonianis literis anni 975, apud Christoph. Hart. *in Annalibus Eremi Heluetiæ, pag.86 & 87.*

Egbertus Archi-Episcopus Treuer.

Pag.54, sub fin Fuit istis temporibus Egbertus Archi-Episcopus Treuerensis è stirpe Hollandiæ Comitum, frater Arnulphi: qui, secundum Bruschium, 72 in ordine, Theodorico an.970 mortuo successit, obijtque anno 989. vocat illum *virtute & eruditione insignem*, & sanctitatis ei laudem tribuit. Si hic fuerit ille, quem textus exhibet, Othone II Cancellarius, necesse sit in ipso Archi-Episcopali statu ei præfuisse officio; nisi potiùs in anno ingressus apud Catalogi Auctorem mendum, aut error sit.

Pag.56, lin.10 à fine, ibi, *Primum Cancellarium.* Supereſt apud Rupertum *in vitâ S. Heriberti* Laconica ad illum Othonis III gratulatoria epistola & familiariter iocosa, quâ Archi-logothetam vocat; quod eâdem ratione intelligendum est.

Heribertus Aistetensis Episcopus.

Eadem pag. lin. vlt. Si cui fortè non probetur, quòd S. Heribertum, Colonienſem iam tunc Archi-Episcopum, aulico Cancellariatui præfuisse dixi, per me non stabit quò minùs *ad Heribertum Episcopum Aichstetensem* factas sub S. Henrico per Heribertum subscriptiones deferamus. Hoc tamen eò timidiùs facio, quòd qui illius loci Episcoporum Catalogos scripserunt, eius rei non meminerunt. Scriptor interim anonymus Hasenrietanus, apud Gretserum, testatur hunc iuniorem Heribertum Sancti illius prædicti homonymi, seu, vt ipse vocat, æquiuoci cognatum fuisse; vnde non improbabile videatur ab illo aulæ insertum, & regio seruitio eius commendantis operâ traditum fuisse. *Fuit*, vt idem Auctor addit, *nobilis genere, nobilior moribus, vir eleganter literatus, &c. egregiâ dictandi dulcedine in tantum enituit, vt tunc temporis hac in arte nulli secundus fuerit.* Huius in istâ stili parte negotij non potuit alibi clario-

ra docu-

ra documenta êxhibere, quàm in Cancellariatûs aulici munere; eoque crediderim anonymum istum, sed non spernendum, Auctorem respexisse.

Pag. 57, lin. 8. Ne quis putet me hac paginâ contraria scripsisse illis, quæ præcedenti posui, quando hic Othonem Heriberti condiscipulum facio, quem illic eidem præceptorem dedi; meminisse lectorem oportet, sæpius contigisse, vt quis alicui in disciplinam se dederit, cum quo priùs communem præceptorem aliquem tertium habuerat. Vnico Theophrasti Eresij exemplo isti rei probandæ contentus ero; qui cùm sub Platone Aristotelem habuisset symmatheten, post illius obitum non est hunc dedignatus agnoscere sectarique magistrum.

Pag. 57, lin. 9 à fine. Hunc Tagmonem Albertus Stadensis ad annum Christi 1010 Daganum vocat, *pag. 113.*

Pag. 59. Nobili prosapiâ Suidgerum fuisse ortum Albertus Stadensis auctor est, ad an. 1032; qui ibidem addit, antequam Bambergæ Cathedram conscenderet, Herimani Bremensis Archi-Episcopi Capellanum fuisse. *Suidgerus Episcopus Bambergensis.*

Pag. 59 fine. Inserendi Henrici Sancti Cancellarijs sunt, quos imprudens prætermisi, duo Leodienses Episcopi, *VVolbodo* & *Durandus*. Prior sanctitatis opinione claret, scripsitque vitam eius Reinerus, hactenus, quod sciam, necdum editam, legendam suo tempore in Tomis de Vitis Sanctorum Heriberti Rosvveidi Vltraiectini, & Ioannis Bollandi Antvverpiensis Soc. Iesu Sacerdotum, qui, dum hæc scribo, iam nunc præla exercere feliciter cœperunt. Ægidius Aureæ Vallis hunc simpliciter Imperatoris Capellanum vocat; sed expressiùs Petrus Mersæus *in Catalogo*, Magnum Chron. Belgicum *pag. 108*, & Meierus *lib. 2 Annal. Flandriæ*, Cancellarium dicunt. Fuerat priùs Monachus Stabulensis, ac Decanus summæ Ædis apud Traiectum. Composuit controuersiam inter S. Henricum Imp. & S. Heribertum Colon. Archi-Episcopum exortam. Quantâ fuerit apud Imperatorem auctoritate, ex sequentibus Reineri verbis comprehenditur: *Imperator enim quamuis Archi-Episcoporum suorum multâ esset auctoritate, & scientiâ suffultus, nihil tamen erat firmum; nihil stabile apud eum, nisi S. VVolbodonis corroboratum esset consilio & sanctitate.* Durandi Cancellariatum Historia Episcoporum Leodiensium quidem subticet; diserte autem eius testes sunt Cratepolius *in Episcoporũ Catalogo*, & Magni Chron. Belg. Auctor *pag. 101*. Faciunt tamen etiam hùc, quæ Ægidius Aureæ Vallis Monachus, his verbis narrat: *Hunc* (Durandum) *propter vitæ modestiam & scientiæ prærogatiuam VVolbodo benignus habebat gratissimum, atq; adeò Imperatori Henrico, Clericum quærenti habentẽ scientiam literarum, assignauerat eum & summoperè commẽdauerat.* Fuit originis infimæ, Scholasticus olim, Imperatoris missione, Bambergensis nouellæ Ecclesiæ. Scripsit contra Berengarium Andegauensem

B VVolbodo Episc. Leod.

Durandus Episcopus Leod.

Archi-Diaconum nouæ tunc sectæ Sacramentariæ, quæ nostro seculo passim inualuit, fabricatorem.

Dithmarus Episc. Hildesheim.

Pag. 60. Dithmarus, siue Thiadmarus, Episcopus Hildesheimensis in ordine quintus decimus, Conradi Salici Sacellanus ac intimus Consiliarius fuisse, scribitur Bruschio *in Catalogo*; quem etiam Crantzius (*lib. 4 Metrop. cap. 19*) vocat carne animoque nobilem. Auctor *Chronici manuscripti Hildesheim.* secretissimum siue intimum & supremum prædicti Cæsaris dicit fuisse Consiliarium; vnde vix dubitem, illius Cancellarium fuisse. obijt an. 1038, & sepulchrum eius miraculis illustre fuit; indeque relatus in numerum Sanctorum, vt Crantzius auctor est. Ossa eius leuata sunt, teste Alberto Stadensi, *an.* 1132. Patriâ Danum fuisse Bruschius, reliquis tacentibus, scribit.

Burchardus Episc. Halberstad.

Pag. 61, lin. 23. Magis mihi placet hunc eumdem credere, cum Burchardo Episcopo Halberstadiensi, qui natione Bauarus fuit, è Comitibus (siue Marchionibus) de Vohburg. Electus is fuit an. 1036. obijt expletis in Sede annis 23, an. Chr. 1059.

Adeolus Episcopus.

Pag. 61. Sub finem Imperij Conradini adeoque vltimo eius anno Cancellarium apud Leonem Ostiensem inuenio *Adeolum* Episcopum; nisi fortè potius sit, illum Italiæ Archi-Cancellarium, non Logothetam aulicum credere: quod etsi facilè in medio relinquam; exinde tamen probabilius puto, quòd eodem anno, vt dixi, Burchardus præmemoratus Cancellariatu Palatino functus sit. Leonis verba hæc sunt: *Hic Conradus Imp. an. 1038, quo Sanctus Abbas Richerius ordinatus est, precibus Gislæ coniugis filijq; Henrici & Adeoli Episcopi* Cancellarij sui, *apud Beneuentum præceptum aureo sigillo bullatum, iuxta priorum Augustorum morem, de vniuersis Monasterij* (Cassinensis) *iuribus fecit.*

Guido Archi-Episc. Mediolan.

Pag. 64. Guido Valuasorius septuagesimus quintus Antistes Mediolanensis, Henrici III Secretarius fuit, vt testatur *Catalogus Archi-Episcoporum illius Ecclesiæ*; cuius etiam auctoritate & gratiâ, reliquis competitoribus reiectis, ad Cathedram peruenit.

Guibertus Archi-Episcopus Rauennas.

Pag. 65. Opinionem & coniecturam meam de Parmensis *Guiberti* Aulico Cancellariatu firmissimè stabilit Nicolaus Aragonensis in suis *de Gestis Romanorum Collectaneis*, apud Baron. *tomo* 11 *Annal. sub an.* 1061, *n.* 3.

Fridericus Episcopus Monast.

Pag. 66. Fundator est hic *Fridericus* suburbanæ Ecclesiæ Collegiatæ S. Mauritij apud Monasterienses; in cuius naui, vt vocant, mediâ eleuato sepulchro quiescit. Ad illud feria tertia Rogationum statio & memoria quotannis habetur, in ipsâ anniuersariâ vrbici Cleri processione.

Sigehardus Aquilegen-sis.

Pag. 66, lin. 22. *Sigishardus* vocatur apud Christoph. Hartman. *in Annal. Eremi*

Eremi Heluet. pag. 139: è quo loco simul constat, quòd Friderico sine intermedio successerit. Diploma enim, quod illic recognoscit, datum est an. 1064.

Pag. 67. De Bibone Cancellario coniectionem meam testimonio suo, quod postmodum animaduerti, iuuat & confirmat Lamb. Schafnab. *ad an. Chr. 1069*, his verbis: *Tolosæ* (ita hìc & alibi Tullum in Leucis vocat) *Episcopus obijt; cui Bibo Cancellarius successit: pro quo Adelbero Canonicus Metensis Cancellarius est substitutus.* Idem autem locus vice versâ quæ de Herbipolensi Adelberone per coniecturã protuli, euertit; ideoq; *hâc & 129 paginâ* de illo relata, interpolanda sunt. Metensis igitur Canonicus Adelbero, non ẽiusdem nominis Herbipolensis Præsul, Henrici IV Imp. Cancellarius aulicus fuit. Non videtur autem dubitandum esse, non alium hunc fuisse, quàm qui illo æuo hoc nomine Metensis Episcopus fuit; licèt Lambertus inthronisationis eius, ad quã per Palatina, vt sæpe aliàs plures, stipendia sibi gradũ feciſſe, credẽdus est, non meminerit. Obitus eius incidit in annum Christi 1072, eodem referente Lamberto; vt omnino pauculis annis sedere potuerit. Ioan. Chenu, *in Ordine eius loci Episcoporum*, duos refert Adalberones, 48 & 51: sed parùm cum Schafnaburgensi in annorum introitûs & regiminis designatione illi conuenit.

Bibo Episc. Tullensis.

Adelbero Canonicus Metensis.

Pag. 68, lin. 15 à fine. Duo fuerunt sub hoc Quarto Henrico Spirensis Ecclesiæ Episcopi hoc Adelberti nomine: quorum prior an. 1070 obijt, ideoque hùc non facit; alter, qui illi proximè successit, è Saxoniæ Ducum stemmate prodijsse traditur; quem tamen Bruschius in veteri aliquo Nemetensis Basilicæ peristromate Alibrandum vocari scribit. Sedere cœpit an. 1070; obijt an. 1108.

Adalbertus Episcopus Spirensis.

Pag. 68, lin. 17, Egilbertus. Nequaquam ambigendum est, non alium hunc fuisse, quàm eo nomine Treuerensem Archi-Episcopum, quem Mersæo Auctore, an. 1079, Imperatore præsente, Cleri concordantia vota Præsulem adoptârunt, & quidem Romæ in Imperatoris negotijs absentem. Laudes eius apud memoratum Mersæum, alioſque legi possunt; obijt an 1101. Natione Bauarus fuit, Maioríque ante inthronisationem Treuirorum Præpositus.

Egilbertus Archi-Episcopus Treuer.

Pag. 70. Gundekardus octauus decimus Aistetensis Episcopus, Gebhardi siue Victoris II Successor, ab Auctore *Catalogi Episcoporum* Gaspare Bruschio, Agnetis Imperatoris Sacellanus, & Henrici IV præcipuus Consiliarius vocatur. De posteriori tacet Gretserianus Catalogus, qui memorabilia de virtutibus & sanctitate huius Præsulis, quem Gundakarum vocat, refert.

Gundekarus Episc. Aistet.

Pag.70,lin.4. Albertus hic an.1111, sub initium Archi-Præsulatûs sui, ipse met reperitur, vti Archi-Cancellarius, subnotâsse Henrici V Diploma, apud Christoph. Hartman. *pag.173.*

Arnoldus Episcopus Spirensis.

Eadem Pag.lin.12 à fine. Coniectura mea est, hunc esse 37 Spirensem Episcopum, quem Bruschius *in Catalogo* Arnulphum vocat; facilè enim, vt aliàs quoque dixi, hæc vicina nomina confunduntur. Sic 30 Episcopus Wormatiensis Arnoldus, vt Bruschius illum vocat, Lamberto Schafnaburgensi Arnolphus est; ac ipsummet Arnolphum Imperatorem, sunt qui Arnoldum nominent. Fuerat autem hic noster priùs Corbeiensis in Westphaliâ Abbas; vnde ab Henrico V Imp. cui vt plurimùm vtilis, ita longè etiam charissimus fuit, Laurisheimum translatus, & in Abbatem constitutus fuit, adiectis haud longè posteà Weissenburgensi & Lymburgensi Abbatijs, ob bene merita: ad Episcopatum an.1123 peruenit, post quatuor regiminis annos mortuus.

Eadem Pag. lin.8 à fine. Hic idem Bruno apud Christoph. Hartmannum *in Annalibus Eremi Helueticæ* (deß Fürstlichen Closters Einsidelen) *pag. 178,* literas Cæsareas an.1114 subscripsit.

Dithmarus Episcopus Verdensis.

Pag.71,lin.7. Hunc Dithmarum Lotharij II, (Tertium se vocat in literis, quæ apud Lindenbrogium extant inter Priuilegia Ecclesiæ Hamburgensis) Cancellarium, suspicor esse huius nominis eo tempore Verdensem Episcopum.

Pag.71,lin.12 à fine. Eodem Bertoldi nomine vocatur apud Christophorum Hartmanum *in Annalibus Erem. Heluetiæ pag. 193;* vbi, Alberti Archi-Cancellarij vice Lotharij literas an.1136 recognoscit.

VVicboldus Abbas Stabulensis & Corbeiensis

Pag.74, fine. Wicboldus Abbas Stabulensis, indeque translatus ad Corbeiensem Abbatiam, quod factum an.1146, à Kleinsorgio in manuscripto Westphaliæ Chronico, Conradi III & Friderici I Cancellarius, siue, vt simul explicat, præcipuus Consiliarius, maximæque apud illos auctoritatis fuisse scribitur; quâ mediante etiam insignia aliquot Monasterio suo an.1147, & 1152, impetrauit ab illis Priuilegia.

Amadeus Episcopus Lausannensis.

Pag.75. Amadeus nobilis Allobrox, è Monacho & Abbate Cistertiensi Episcopus Lausannensis, Friderici I Cancellarium egit, vt auctor est Aubertus Miræus *in Chron. Cisterc.pag.312:* vbi refert, solitum esse dictum Principem in sequentem modum illi scribere: *Carissimo Cancellario nostro Amadeo Lausannensi Episcopo: qui genere & nobilitate nec non & fidelitate nobis addictus cognoscitur.*

Pag.79, lin.22. post verba *Goldasti. pag.* 81, (*rectiùs* 8,) adde: vbi vice Christiani recognouit priuilegium Aquisgranensibus datum an.1166, vti Sacri Palatij Protonotarius.

Pag.81,

Pag. 81, lin. 13. Idem Rudolphus an. 1180 subscripsit priuilegium Friderici I datum Wormatiensibus super immunitate vectigalium in diuersis teloneis.

Pag. 82. Huius Conradi Hildesheim. Episcopi extat epistola ad Arnoldum Abbatem Lubecensem *in Chronico Sclauor.* ab hoc scripta, *lib. 4, cap. 19*, de Italico itinere suo, quâ tamen plurima fabulosâ continentur. Scripsit illam cùm esset ab Henrico VI eò missus, ideoque se vocat *Siciliæ Legatum.* Frater fuit Burggrauij Magdeburgensis, si eidem Arnoldo Lubec. credimus *lib. 7, cap. 2.*

Conradi Episc. Hildesheim. Epistola ad Arnold. Lubec.

Pag. 83, lin. 20. Libet de hoc Conrado Episcopo Herbipolensi adscribere locum ex Appendice Othonis de S. Blasio, *cap. 42*; eò quòd ab alijs præterita, partim ad laudem, partim ad vituperium eius pertinentia complectatur: *Sed statim eodem Conrado Cancellario repatriante, emenso mari ad VVirziburg Sedem suam redijt, ibiq; postmodum contra regnum conspirans, & montem S. Mariæ in ipsâ vrbe pro castello muniens, publicè rebellauit, rebus Ecclesiæ multifariè dilapidatis; à quibusdam ipsius Ecclesiæ ministerialibus, quos in guerrâ cum ipsis habitâ admodum iniuriauerat, in ipsâ ciuitate occiditur. Dicitur tamen de eo, quod in corpore ipsius quædam castigationis indicia reperta sunt, quibus districtæ conuersationis ipsius pœnitentia sit ostensa.*

Conradus Episcopus Herbipolensis Arcis Herbipolensis initium.

Pag. 84, lin. 22. Sub Philippo etiam *Sifridus* quidem Protonotarius fuit, cuius meminerunt literæ eius an. 1204 datæ Adolpho Colonienſi Archi-Episcopo, super allodio in *Saluelt* apud Gelen. *in Histor. S. Engelberti, pag. 32.* Dubito an non hic sit idem ille, qui sub Friderico II Cancellarius & Episcopus Ratisbonensis fuit.

Sifridus Protonotarius Phil. Imp.

Pag. 86, lin. 15. Hic Bertoldus è Protonotario ad Cancellariatum conscendisse videtur. Refert enim Goldastus **in den Böhmischen Beylagen** / *pag.* 143, Auream Friderici II Bullam confirmationis super electione Wenceslai Bohem. Regis de an. 1226, mens. Maij, ita subscriptam: *In oppido Vlmensi per manum* Bertoldi de Norff *Imperialis aulæ nostræ Cancellarij.* Pro *Norf* enim sine dubio *Nifen* legi debet; nec supereſt difficultas aliqua, nisi fortè Goldastus, qui Diploma illud Germanicè edidit, seu quis alius translator, Protonottarium perperam **Hoff Canzler** verterit. Hervvartus tamen, & præter illum alij, Cancellarium cum Protonotario vnum & eundem censent. *vide Defens. Imp. Lud. Bauari pag. 634.* Certè illos qui Vice-Cancellarij essent, promiscuè quandoque etiam Protonotarij titulum vsurpâsse suprà, *pag. 91*, in Ebernando sub Adolpho Cæsare vidimus.

Bertoldus de Nifen Protonotarius & Cancell.

Pag. 88. Fuit etiam Protonotarius Friderici II *Henricus de Tanna*, per cuius manus datum est Diploma eius, quo recipit Ecclesiam Bononiensem in Mundi-

Henricus de Tanna.

Mundiburdium suum, & confirmat bona & priuilegia eius, *apud Sigon. lib. 2 de Episcopis Bonon. pag. 162.*

Pag. 88, lin. 11. Inter priuilegia Mindensia, *num.* 18, Wilhelmi Imp. literæ leguntur, quibus Mindensem Episcopum Widekindum de Hoia infeudat de liberâ Comitiâ in *Steenvvede*; in quibus non tantùm huius Cancellarij, sed etiã *Protonotarij Arnoldi* memoria conseruata est. Datæ illæ sunt an. 1254, *in castris, post depopulationẽ VVestfrisiæ.* Subscriptionis illius, quatenus ad præsens institutum facit, hæc formalia sunt: **Venerabilis H. Spirensis Princeps & Cancellarius, &c. Magister Arnoldus Protonotarius Regalis aulæ.** Hinc constat Henricum etiam Wilhelmi Cancellarium fuisse.

Arnoldus Protonotarius.

Pag. 89, lin. 5. Idem *Nicolaus* occurrit in priuilegio Wilhelmi dato Colonienſibus super immunitate vectigalium in diuersis Rheni fluminis teloneis, de an. 1257, hac subscriptione: *Datum Coloniæ per manus Domini N. Cameracensis Episcopi dilecti Principis & Cancellarij nostri vice (vices) gerentis Venerabilis Principis Gerardi Moguntini Archi-Episcopi per Germaniam Archi-Cancellarij.* Lymn. *lib.* 10. *de Iure publ. cap.* 10.

Nicolaus Episcopus Camerasensis.

Pag. 95, lin. 7. Tantùm abest *Bertoldum* Lamberto priorem fuisse, vt etiam post Ioan. Olomucensem ponendus sit. Diploma enim concessionis Nundinarum datum à Carolo IV Hamburgensibus, anno regnorum 19, Imperij 10, ita subscriptum fuit: *Et ego Bertoldus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Eystetensis Episcopus, Sacræ Imperialis aulæ Cancellarius, vice Reuerendi in Christo Patris Domini Gerlaci, &c. Per Dominum Imperatorem, Petrus Iamne.* Lymnæus *lib. 7 de Iure publ. cap. 23.*

Bertoldus Episcopus Aistetensis.

Petrus Iamne.

Pag. 95, lin. 23. Lithomisla, siue *Leuthomisla*, Bohemiæ oppidum est ad Moraviæ confinia, in circulo Chrudinensi; Episcopalem Sedem accepit sub Carolo quarto, quo tempore Pragensis Sedes in Archi-Episcopalem erecta est, vti testatur Ioan. Bertoldus Pontanus *in Bohemiâ Piâ*, & Miræus *lib. 5 Not. Episcop.*

Lithomisla.

Pag. 96, lin. 20. Hic ille idem est, quem Ioan. Bertoldus Pontanus *in Bohemiâ Piâ, pag. 45*, Caroli Cæsaris Consiliarium & Secretarium vocat, estque ex Olomucensi Episcopo translatus ad Pragensem Metropolim. Dixi de hoc inter Cardinales, *num.* 13. Probabile igitur est Ioannem hunc Bohemiæ Cancellarium & Imperij Protonotarium simul fuisse; quod idem suspicor de Rudolpho de Fridenberg, de quo actum *eâdem hâc pag. 96 in fine.*

Ioan Episc. Olomucens. & Archi-Episcopus Pragensis.

Pag. 96, lin. 22. Ante Nicolaum, qui hic Ioannem sequitur, inserendus est *Petrus Præpositus Olomucensis*, cuius subscriptio occurrit in literis Caroli IV super teloneo Selzensi, concessis Petro de Wartenberg, Baroni Bohemico & Curiæ

Petrus Præpositus Olomucensis.

& Curiæ Imperialis Magistro, an. 1371. *apud Goldast.* in den Böhmischen Beylagen/ *pag.202.*

Pag.97, lin.7. *Ianurensis* Hundij, Goldasto in den Böhmischen Beylagen/ *pag.*204, vocatur Ioan. *Iaurensis*, in subscriptione Confirmationis super Teloneo in Seltz, de an.1376. Posterior hæc lectio priori præstat; Iaurinum enim, vnde isti nomen esse videtur, Episcopalis vrbs est Hungariæ, Germanis Raab/ munitissimum contra Turcas propugnaculum. *Ioan. Iaurensis.*

Pag.97, lin.8. Extremis Carolini Imperij annis Protonotarium Cæsareum egit, *Nicolaus de Resenberg*, qui subscripsit Priuilegium Monasterienſi & Osnaburgensi Ecclesijs datum, & sub Bullâ expeditum aureâ, quo diuersa Laicorum statuta contra Libertatem & Immunitatem Ecclesiasticam tendẽtia erecta, cassantur & abrogantur. Eius hæc subscriptio est: *Et ego Nicolaus de Resemberg Ormericensis (siue Damericensis) Magdeburgensis diœcesis Cæsaris Protonotarius, vice & nomine Reuerendissimi in Christo Patris ac Domini, Domini Ludouici Archi-Episcopi Moguntini Sacri Roman. Imp. per German. Archi-Cancell. recognoui.* *Nicolaus de Resenberg.*

Pag.99, lin.24. Michaël hic, *apud Goldast.* in den Böhmischen Beylagen/ se vocat Pragensem Canonicum, in subscriptione literarum Sigismundi ad Ordines regni Bohemici in Czaslauiensibus Comitijs congregatos, an. 1421. Potuerint tamen diuersi fuisse. *Michaël Canonicus Pragensis.*

Pag.101, lin.7 à fine. Retractationis istius Bulla non ad hanc historiam, sed dialogum de potestate Basilienſis Concilij pertinet, quem ad vniuers. Colomiẽsem in minoribus agens composuerat. Videatur autem de hoc historiæ iocularis negotio, Epistola 395; cuius loco mihi altera ista lucubratio per errorem in memoriâ erat. *Bullâ retractationis Pij II.*

Pag.102. Scribit Georgius Ederus, *in Catal. Rectorum Archi-gymnasij Viennensis, pag.*10, Albertum III Austriæ Ducem, Fundatorem Viennensis Gymnasij, ex consensu Innocentij VI & Vrbani V Pontificum Roman. statuisse, vt quilibet Præpositus Viennensis esset *Archi-Cancellarius Austriæ, Princeps & Prælatus insulatus.* Idem, *pag.*38, sub an.1478 tradit, cùm illo tempore ductu & auspicijs Friderici III Imp. (is certè ab Apostolicâ Sede ita obtinuit) Præpositura & Collegiata Ecclesia Viennæ in Episcopatum erigeretur, Præpositum Viennensem deinceps titulum Archi-Cancellarij Austriæ amisisse. *Viennensis Præpositus, Austriæ Archi-Cancellarius.*

Pag.102, lin.11. Huius asserti veritas per præcedentium seriem comprobatur; scribit nihilominus Kirchnerus *lib.1 de off. Cancell. cap.*12, in sequentem modum. *Nam & in Imperiali aulâ, pro antiquis Capellanis, Diaconis, reliquisq; Clericis ac Sacerdotibus, Iuris periti atque Politici homines ex seculari ordine huic muneri* à tempore Rudolphi Ivt plurimùm *adhibiti, excepto Archi-Cancellariatu.* *Kirchneri error de Cancellarijs, &c. Cæsareis.*

lariatu, &c. Error iſte ex ijs quæ de Cancellariorum aulicorum ſucceſſione retulimus, elucet & conuincitur.

Pag.102 fine. Hunc non dubito illum eſſe Vlricum, de cuius erga ſe auerſo animo & malignitate, Æneas Syluius tum temporis Senenſis Eccl. Epiſcopus & Cardinalis conqueritur *Epiſt.296, 300, 302, & 306.* Is modò Cancellariæ Rectorem, (*Epiſt.300;*) modò Cancellarium, (*Epiſt.296,*) vocat. De eodem narrat *Cap.21 Europæ*, qualiter in vrbe Cilienſi, exorto, contra Imperatorem nocturno ciuium tumultu, in hoſtium manus & vitæ præſens periculum inciderit.

Pag.103, lin.26. Ipſe tamen Æneas Syluius modò dictus, *Epiſt.306*, ſcribit ſe quindecim annos Cæſari ſeruijſſe.

Sigiſmundus Vieſeuſer Vice-Cancell.

Pag.110, lin.6. Mors huius viri incidit in annum 1587, teſte Bucholtzero in Indice Chronol. cuius verba vtpote honorifici elogij monumentum retineo: *Sigiſmundus Vieſeuſer* (obijt,) *vir omni eruditionis genere præſtans, & multis naturæ donis excellens, Imperatoriæ Maieſtatis Pro-Cancellarius, 13 April. ætatis 56, Pragæ Bohemorum.*

Freimonius Vice Cancellarius.

Pag.111. Hunc Freimonium Herm. Kirchnerus *lib.1 de Cancell.cap.10*, humaniſſimum vocat doctiſſimumque virum; addens, tum in proſâ tum ligatâ oratione facundum fuiſſe, vt cuiuis etiam expeditiſſimo reſpondere ex tempore in vtroque genere potuerit, quique Muſis, præcipuè Poëticis ſuis, omnem ſuam, quamuis lautiſſimam, fortunam acceptam retulerit.

Supplices libelli ab Archi-Cancellario inſcribi ſoliti.

Pag.114, lin.5. Etſi regulariter non omnia ſubſcribantur ab Archi-Cancellario Moguntino Cæſarum Diplomata, ita tamen ſeruatur, vt quoties in aulâ præſens exiſtit ſupplicantium libelli ipſi exhibeantur; quibus ſi deferendum ſit, & literæ deſuper concedi & expediri debeant, prædictus Elector manûs ſuæ appoſitione facultatem illam largiri conſueuit, eiuſmodi, quæ pro exemplo ſit, ſubſcriptione: Anſelmus Caſimirus Archi-Epiſcopus Moguntinus.

Ioan. Carondeletus

Pag.114, lin.15. Hunc citatus à me Aquileienſium Patriarcha Hermolaus, *apud Politianum lib.12 Epiſt.* ſupremum vocat Romanorum Regis Secretarium, eundemque reperio à Franciſco Haræo, *in rebus Brabant.* Maximiliani Cancellarium dici. Fuit autem Brabantiæ ſiue Belgicarum rerum Cancellarius, vt ex Eraſmi ad illum epiſtolis conſtat, hâc inſignitus ab illo titulaturâ. Brugenſes tempore illius rebellionis, quâ commerciorum principatu ſe exuerunt, ob iniectas ipſi Domino, quem dixi, manus, etiam hunc, cum primarijs aliquot reliquis miniſtris regijs, in vincula coniecerunt.

Plumbeorũ ſigillorum origo,

Pag.116, lin.1. Polyd. Virgil. *lib.8 de rer. Inuent cap.2*, auctor eſt antiquiſſimis

mis temporibus sigillum non reperiri plumbeum; Stephano autem III, ac Hadriano II, qui an. 772 sedere cœperit, placuisse, vt Diplomata diuturniora forent, tabulas Apostolicas plumbo obsignari.

Friderici II sigillum.

Pag.117. Sigillum Friderici II Imp. sequentibus verbis describit Gelen. *in S. Engelberti Historiâ*, pag 114: *Infra Diploma ex sericis, rubei, viridis & flaui colorum filis contextis, dependet Sigillum magnum rotundum, referens in solio Imperatorem togatum, dextrâ sceptrum, sinistrâ tenentem globum cruce insignitum; in capite gestantem coronam, à quâ velut insulâ vittæ ab vtrâque parte, duo lilia defluunt. Subscriptio eius hæc est:* Fridericus Dei gratia Imperator semper Augustus.

Aurea Bulla Philippi Imp.

Pag. eâd. Auream Bullam Philippi Imp. describit Gelen. *in vitâ S. Engelberti, pag.32*, his verbis: *In fine dependet ex filo serico Sigillum aureum, ab vnâ parte habens templum tergeminâ insignitum turri. Portæ templi inscriptum:* AVREA ROMA. Epigrapha est: ROMA CAPVT MVNDI TENET ORBIS FRENA ROTVNDI. *Ab alterâ parte sedet Imperator in solio regio tenens dextrâ sceptrum, sinistrâ orbem mundi cum hac inscriptione:* PHILIPPVS DEI GRATIA ROMANORVM REX ET SEMPER AVGVSTVS.

Aurei sigilli antiquitas & origo.

Pag.117, lin 5 à fine. Polydorus Virgil. *lib.8 derer. Inuent. cap. 2* ait: *Constat ante Carolum Magnum Imp. literas auro obsignâsse Principum Romanorum neminem.* Is igitur tacitè, & obliquè saltèm, ad illum Germanici Imperij Conditorem referre videtur Aureæ Bullæ apud nos primordia.

Aurea sigilla an alijs præter Imperatorem in vsu?

Pag.117. Præter Imperatorem an Orbis Christiani Reges alij promiscuè Bullis aureis vsi fuerint & vtantur, hactenus pro certo non norim affirmare. Neapolitanos tamen Reges solenni ritu in more habuisse *Reuersales*, quas vocamus, *literas*, tempore infeudationis Apostolicæ Sedi dari consuetas, hoc sigilli genere munire, pluribus exemplis & præiudicijs ostendit & confirmat Cardinalis Baronius *in Tractatu de Monarchiâ Siciliæ*; quem separatim Parisijs excusum habemus, ac præterea à vndecimo Annalium Tomo insertus est. Refert etiam *Ostiensis Leo*, accuratus rerum Cassinensium Scriptor, *lib. 2, cap.66*, Guaimarium Principem Capuanum præceptum (Diploma confirmatorium) fecisse S. Benedicto, cum aureâ Bullâ, de omnibus Monasterij Cassini montis pertinentijs.

Othonis I literæ aureis literis scriptæ.

Pag.118.fin. Extant etiam in Concil. Tomis literæ Othonis primi, quibus iura Romanæ Ecclesiæ confirmantur; quæ, vt ibidem Epigraphe refert, aureis scriptæ literis asseruantur in Castello S. Angeli. In fine fit mentio impressionis Bullæ; quæ an debeat de Aureâ intelligi non diuino. Autographi inspectio hoc dubium dissoluere potis est.

Pag.119,lin.11. Addi debuit, quoad formam antiquam Bullæ aureæ; ab eodem illo latere, quo versus ille: *Roma caput,&c.* continetur, portam cum trigeminâ turri in medio locari, hoc addito lemmate: Aurea Roma. Nam Carolina Bulla, hac in parte cum Philippi Imp. de quâ retuli, conuenit.

Pag.119,lin.33. Erratum nonnihil est in designanda iustâ quantitate: Nam Carolinæ Bullæ, si exactè mensurentur ad Matheseos regulas, duplicem circiter orbiculari circumferentiâ Imperialem exæquant;diametro enim quartâ circiter parte vel tertiâ huius dimetrum excedunt.

S. Bervvardi Canonizatio.

Pag.127,lin.22. Canonizatio, vt vocamus, S.Bervvardi facta est à Cœlestino III Papâ, tempore Henrici VI Imp. an.1194; sacram eo nomine Legationem obeunte, & Pontificem exorante S.Michaëlis Abbate Theodorico, vti Arnoldus Lubec. scribit *lib.4, cap.23*; & ex illo refert Baron. *tom. 12, sub an.prædicto,num.17.*

S Bervvardus Hildesh.

Pag.127,lin.25. Sancto Bervvardo, cuius vitam aliquantò strictiùs transmisi, reliquis pauca hæc quibus placet addant. Controuersia exorta est inter hunc & B.Willigisum Moguntinum de iurisdictione super Illustrium Dominarum *Cœnobio Gandersheimensi*: cuiusmodi inter hos aliosque Sanctos, nõ semel enatas fuisse mirari nequit, qui & inter ipsos Dei Angelos concertationes interuenisse recordatur *. Sedatum ad tempus fuit istud dissidium, succedente in Willigisi locum Erkenbaldo, qui S. Bervvardum cognatione attigit. Obijt hic non an. 1024, vt *Bruschius* & *Chron. Hildesh.* sed, vt *è vitâ S.Gothardi,tom.11,sub an.1022,num.19*, Baron.tradit, an. 1022; sepultus in Ecclesiâ noui Monasterij sui *S.Michaëlis*. Epitaphium ipsi scripsit S.Benno Misnensis Episcopus; qui vel contubernalis eius fuit, vt ait *manuscripti Chronici Hildesheim.* Auctor; vel discipulus, vt alij. Id versibus Leoninis, pro more rudium illorum seculorum scriptum, apud Bruschium *in Catalogo*, alioque legere est.

**Daniel. cap.12.*

Puttenses Dynastæ in Velauiâ.

Pag.131,lin.19. Fuerunt etiam antiquitus in eâ Gelrici Ducatûs Tetrarchiâ, quæ Velauiæ nomen habet, *Puttenses* præpotentes Dynastæ; de quibus tractat Isacius Pontan. *lib 8 Histor.Gelricæ,pag.301,ad an.Chr.1373.*

Pag.135,lin.18. Locus Canonizationis S.Engelberti, Moguntia fuit;vbi in eum finem Synodus congregata fuit.

Pag.135,lin.4 â fine. Annus inchoatus hic pro pleno positus; qui vtinam feliciùs finiendus sit, quàm cœptus est!

Azorius de Germanicis Pont. Max.

Pag.136. In numero Pontificum Maximorum è Germanis, longiùs, quàm quisquam reliquorum, dissentit Ioan. Azorius *tom.2 Instit. Moral. lib.5, cap.fin.* qui non nisi quatuor nobis relinquit. Præterquam enim quòd Hadrianũ VI, vti Bel-

vti Belgam, à reliquis Teutonicis segregat, subticet Stephanum VIII: Leonem autem IX, & Stephanum IX Galliæ adscribit. Satis autem sibi constat ratio calculi nostri, vti suis quodque locis videri potest.

Pag.140, lin.23. Quæ de origine Insignium apud Romanos Pontifices Massonus refert, è Fulberti Carnotensis Epistolâ 50 deprompta sunt.

Pag.140, lin.7 à fine. Nonum Leonem quod Gallis, vt dixi, inserit Ioan. Azorius, errore facit euidenti & perquam leui seductus argumento, quòd arma, vt vocamus, gentilia eius, Leonis effigiem in liliato scuto præferrent. Nec enim solius Gallici populi sunt liliorum insignia; potuissetque eâdem operâ, ni claudicet ista argumentatio, regiæ stirpi inserere; quam si fortè cognatione aliqua contigerit, necdum Germanicæ origini res illa obstiterit.

Pag.141, lin.6 à fine. Verisimile puto vitam Leonis IX, quam in monte S. Gerardi Molanus extare scribit, esse illam ipsam, quam à Wichberto scriptam Parisienses excuderunt. Duobus enim hæc libris constat; quod idem de alterâ affirmat prædictus Auctor.

Pag.146, in fine. Ne quis putet me hîc inter Germaniam & Italiam temere voluisse comparationem instituere; sciendum est, me hoc in loco ad veterem præcipuè respexisse morem. Antiquitus enim Italiâ Prouincijs non accensebatur. *Italia olim Prouincia nonerat.*

Pag.147, lin.20. Videndum an non Hermannus II cogn. Nobilis, Archi-Episcopus Colon. inter Cardinales S. Rom. Ecclesiæ referendus sit, ob locum è priuilegio Leonis IX, quem suprà, *pag.*203, retuli. De hoc quæ infrà ad paginam 167 notantur videri possunt. *Herman. Archi-Episcopus Colon. an Cardinalis?*

Pag.eâdem. Wernerum Abbatem Fuldensem, qui Othone II Imp. præfuit, & in luctuosissimâ illâ Germanorũ ab Italis desertorum, in Apuliâ acceptâ clade, quâ à Græcis & Saracenis Imperatorius exercitus internecione cæsus & deletus est, cum reliquis occubuit, Ecclesiæ Romanæ etiam fuisse Cardinalem, scribit Brovverus *lib.1 Antiq. Fuldensium, cap.19.* Id si verè traditur, fuerit post vnum Amalarium Wernerus iste antiquissimus omnium, de quibus mihi compertum sit, Germanicæ originis Cardinalium. *VVernerus Abbas Fuldensis, S. R. Eccl. Cardinalis.*

Pag.151. Quæ suprà, *pag.*145, de Electione Conradi in Papam retulimus stare nequeunt, si Wionem aut Pignam sequimur in anno obitûs eius. Istâ enim ratione, tempore Cardinalatûs eius nulla contigisse potuit Sedis vacantia. Quare verissimum censeo quod de tempore mortis Henriquez scribit. *Annus mortis Conradi Portuensis.*

Pag.eâdem in fine. Hunc Conradum reperio omnium primum ab Apostolicâ Sede fuisse creatum hæreticæ prauitatis Inquisitorem; quæ cura, exortis eodem tempore Mendicantium Religiosorum familijs, breuì pòst ad S. Domi- *Inquisitio hæreticæ prauitatis quo tẽpore cœperit.*

Dominici fratres translata fuit ; è quibus princeps hoc munere functus est Conradus Marpurgensis S.Elisabethæ Confessarius, vt vocant, eodem, quo Collega & Synadelphus eius S.Petrus Veronensis, fato interceptus.

Pag.164,lin.5 à fine. Non à Sixto, sed decessore eius Gregorio XIII Albertus Austrius galerum obtinuit; quod factum an.1577, ætatis Alberti circiter decimo octauo. *Aubertus Miræus in Elogio Albertino.*

Bohemiæ Rex officio Archi-Marschalli functus.

Pag.171,lin.15. Eodem modo coronationis Imperatoris Philippi Sueui tempore, Rex Bohemiæ *gladij regalis Baiulus fuisse*, id est, Archi-marschalli officio functus esse scribitur ab Arnoldo Lubec. *lib. 6 Chron. Slauorum, cap. 2.*

Seuerinus Binius de Origine Electorum.

Pag.175,princ. Baronio in hac de Origine Electorum quæstione subscribit etiam Editor Conciliorum luculentus & accuratus, Seuerinus Binius; qui *Tomo 3,part.2*, ipsum Baronij hac de re è *lib.10 Annal.* locum ad longum refert & approbat.

Thomas Anglicus Auctor librorum est, de regimine Principum.

Pag.175,lin.6 à fine. Iacobus Tirinus in Auctorum Indice, quem cum Commentarijs Biblicis suis excudi fecit, libros de Regimine Principũ scribit à Thomâ Anglico, cognomine Walleis siue Gualensi, scriptos esse. Vixit is circa an.1333, sub Anglorum Rege Eduardo III, vt præter alios affirmat Ioan. Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus pag.430* Tribuuntur autem & alia opera Angelico Doctori, quæ huius Anglici sunt; vti sufficienter probat contra Antonium Senensem memoratus Tirinus post Sixtum Senensem & Antonium Posseuinum. Mirum igitur non est, in libris *de Regimine Principum*, integro ferè seculo post Innocentium IV scriptis, septem Electorum speciatim memoriam esse.

Senonensis Archi-Episcopi Primatus

Pag.199,lin.8 à fine. Non Galliæ tantùm, sed & Germaniæ simul primatum Senonensis Archi-Episcopus olim affectauit; ac sub Carolo Caluo, an. 876, *in Concilio Pontigonensi*, productæ & publicatæ fuerunt Apostolicæ literæ, Ansegiso eius temporis Antistiti eum honorem renouantes & confirmantes. Contradictum autem fuit in eâdem Synodo; nec nisi saluis aliorum Sedium iuribus, prædictis literis assensus datus est. *Vide Concilia Gallicana Sirmondi, Tomo 3.*

Episcopatus Cassinensis origo.

Pag.216,lin 2. Montis Cassini Abbatiam in Episcopatum, mirè delectatus eius generis innouationibus, Ioan. XXII Summus Pontifex erexit. *Auctor vitæ Ioannis à Bosqueto, Parisijs editus, pag.25.*

Suauis Protonotarius.

Pag.11,lin.6. Huius Erkenbaldi vice Carolinum Diploma recognouisse legitur, SVAVIS quidam, apud Kyriandrum *part.9 rer. Treuer.p.79.*

De Hirmimaris & Amelbertis.

Pag 14,lin.21. Dubito an non Dubletius, quando Hirmimarum ad Ludouici Pij tempora refert, Pium cum abnepote eius Ludouico III confundat;

dat; quâ de re, Auctore & Diplomate, cuius hîc fide illum refert, nõ inſpectis, diſpici nequit. Eademque me ſuſpicio inceſſit de duobus Amelbertis; quorum priorem Carolo Magno, alterum Craſſo aſſignant. Interim nulla abſurditas eſt, Imperatores cognomines etiam homonymos miniſtros in ſeruitio habuiſſe.

Pag.47, lin.11. Ad quæſtionem de finibus Archi-Cancellariatûs Gallici pertinet etiam ſubſcriptio Diplomatis Caroli IV apud Kyriandrum *parte 15 rerum Treuer. pag.196*, quæ ſic habet: *Datum Bacharach, anno Domini 1376, prædict.14, 2. Kal. Iun. Regnorum Caroli 30, Imperij 22. Recognouit* Nicolaus Cameracenſis Præpoſitus, *vice & nomine Reuerendiſſimi Domini* Cunonis *Archi-Epiſcopi Treuerenſis, Sacri Romani Imperij per Galliam, & Arelatenſe Regnum Archi-Cancellarij, Imperialis aulæ Protonotarius.* Argumento hîc deſignati loci videor colligere, diœceſin Treuerenſem, atque adeò vniuerſam eius Prouinciam, ad Gallici Archi-Cancellarij diſtrictum pertinuiſſe. *De finibus Treuerenſis Archi-Cancellariatûs.*

Pag.97, lin.3 à fine. Fuit hîc Wenceſlaus in ordine Præſulum Olomucenſium XXXI: nec valdè honorificè illius meminit Auctor *Catalogi Epiſcoporum.* Obiit an.1416, (perperam illîc legitur 1426,) durante etiam tunc Conſtantienſi Concilio, coram quo, qui in locum eius Schiſmaticè electi fuerunt, litigia agitârunt. *VVenceſlaus Epiſc. Olomucenſis.*

Pag.102. Memorabile ac rarum eſt, quod de Iacobo Barone de Sirck Archi-Epiſcopo Treuerenſi ſcribit Kyriander *parte xv rerum Treuer. pag. 204*, illum Friderici III Imp. quo tempore is ſub Imperij primordia in Rheni partibus egit, Moguntino conſentiente, (fuit ille *Theodoricus de Erbach*) Cancellariam rexiſſe; quod omnino de ſupremo regimine, Archi-Cancellarium concernente, intelligi debet. Fuerat Iacobus ante Archi-Epiſcopalis throni conſcenſum Renati Siciliæ Regis Cancellarius. *Id. Kyr. dicto loco.* Aptitudo eius ad tale officium inde teſtata eſt, quòd Scriptor *de geſtis Treuirorum* Schekmannus ſcribit, *fuiſſe illum multæ eruditionis & memoriæ ſingularis, qui conſuetudinem habuerit in Cancellariâ ſuâ copioſè pluribus dictandi.* *Iacobus de Sirck Treuerenſis Archi-Epiſcopus.*

Pag.109 fine. Fuit prætereà Ferdinando I Secretarius Guilielmus Putſchius; cuius affinis ſui meminit Cuſpinianus *in Friderico Pulchro Auſtriaco*, vocans antiquitatis ſtudioſum. *Guilielmus Putſchius.*

Pag.121. Cancellarijs Germanicis opinionem ſanctitatis obtinentibus B. Wolbodo Leod. Præſul, quem *in Notis ad pag.58* retuli, addendus eſt.* Fuit is natione Flander, & ex Capellano ac Cancellario Imperiali, ab Henrico II Cæſare, pro illorum temporum more, in locum Baldrici, quadrageſimus octauus Tungrorum Antiſtes ſucceſſit. Præfuit laudatiſſimè, vti apud Anſelmum Canonicum Leodienſem, *in Hiſtoriâ Chapeauillij, Tomo primo*, videre eſt; eiuſ- *B. VVolbodo Leod. Epiſcopus.* * *Idem dicendum de S. Dithmaro Epiſc. Hildesh.*

eiusdemque vitam pleniùs enarrat *Renerus Cœnobita Laurentianus*, quæ an lucem hactenus aspexerit dubito; fragmenta ex illâ aliquot dictus de Leodiensibus Episcopis Historiæ Editor refert. Sanctissimè obijt Præsulatûs sui mense trigesimo, ac celebre pietatis & munificentiæ suæ reliquit monumentum diues Cœnobium Benedictinum S. Laurentij propè Leodium. Ioan. Molanus hunc *Catalogo Sanctorum Belgij*, ad diem Aprilis 21 indit, sequentia, inter alia, de illo tradens: *Debet autem maioribus nostris multùm fuisse celebris; quia plus, quàm in triginta manuscriptis Ecclesiarum Martyrologijs, depositionem eius annotatam obseruaui; in quibus tamen non facilè alium Sanctum reperias, cuius Natalis alicubi non celebretur. Subdit idem epitaphium eius versibus Leoninis, gestorum eius summam luculenter recensens.* De miraculis eius vid. Ægidius.

Clemens II Papa an rectè Sanctis accenseatur?

Pag. 129, lin. 20; & pag. 139, lin. 25. Quæ è Serario de Clementis II siue Smidgeri Sanctitate retuli, admonitus sum fortè non satis firmo inædificata esse fundamento, eò quòd Typographicum apud illum videatur subesse mendum. Id si sit, meum non fuerit album Sanctorum denigrare; quamuis vel ipsum, quo vixit, seculum, quod plurimos in Germaniâ produxit Sanctissimos Præsules, iunctis laudatissimis gestis eius, & inculpatæ vitæ innocentiâ, Clementi, ad tenendum quem illi assignaui locum, suffragari videatur.

Leo IX quando dimiserit Tullensem Sedem.

Pag. 140, lin fin. Non toto, ad mortem vsque, Papatûs tempore S. Leo IX Tullensem Ecclesiam sibi retinuit; sed annis tantùm aliquot. Tandem enim, ante tertiam suam Germanicam profectionem, Othonem primicerium sibi successorem elegit, missóque in eam rem Legato, Imperialem assensum desuper obtinuit, vt Wichbertus *in vitâ S. Leonis* scribit *lib. 2, cap. 8.*

De Colon. & Treuer. Archi-Episcoporũ hereditario Cardinalatu.

Pag. 167. Coronidis vicẽ subeant huius de Teutonicis Purpuratis membri sequentia; fuisse olim peculiare quoddam Cardinalium genus, quod non facilè alicubi, præterquam in vnâ Germaniâ occurrat. Auctor enim mihi est sat locuples Ægidius Gelenius, antiquitus Colonienses Antistites hereditario quasi iure, & perpetuo quodam illius Sedis priuilegio, Ecclesiæ Romanæ Cardinales fuisse. Originem illius eminentiæ & prærogatiuæ è S. Leonis Diplomate repetit; cuius fragmentum *pag. 202* retuli; vbi Hermanno Archi-Episcopo, præter Archi-Cancellariatum principis in orbe Christiano Sedis, Ecclesia etiam *S. Ioannis ante portam Latinam* confertur; quam gratiam ille de Cardinalatu interpretatur: nec dubito illi, vti indefatigabili, nec infelici Antiquitatum scrutatori & vindici, eius rei plura eruta esse documenta. Annexam igitur illam Archi-Episcopali dignitati hereditariam purpuram, inter reliqua illius Sedis iura & priuilegia, de quibus Tractatum paratum habet, eiusque editionem breui instituet, referendam esse probat. Obstare fortè non nemini videbitur, quòd vetustis illis temporibus Ecclesia S. Ioannis ante portam

tam Latinam nunquam redacta fuerit inter titulos, quos vocant, Cardinalitios. Nam, vt auctor est Onuphrius Panuinius in libello *de Episcopatibus, titulis & Diaconijs Cardinalium, pag. 21*, Leo X Pont. Max. omnium primus in magnâ illâ Cardinalium vnius & triginta creatione, quam fecit an. 1517, cum decem alijs nouem titulis, etiam prædictum S. Ioannis nouiter erexit. Non putârim tamen id magnopere attendendum esse argumentum, eò quòd Onuphrio, quantumuis Ecclesiasticæ historiæ peritissimo, præfatum S. Leonis IX Diploma ignoratum fuisse suspicer: qui fortè aliàs, si cognitum illud habuisset, contrarium amplexaturus fuisset. Ac mouet me non parùm ad recipiendum illum Colonienſis Archi-Episcopi Cardinalatum, quod de Treuerensi simile quid traditur; qui ijsdem ferè temporibus Ecclesiam *SS. Quatuor Coronatorum* à Sede Apostolicâ obtinuit, & ad Successores transmisit. Hanc autem Ecclesiam iam inde à S. Gregorij Magni tempore titularem fuisse extra dubium est; extat enim inter subscriptiones Cardinalium, quæ *lib. 4 Epistolarum* eius sub Romanâ Synodo reperiuntur, *Fortunatus* SS. Quatuor Coronatorum Presbyter; & Onuphrius ad eiusdem tempora Pontificis primordia illius tituli redigit. Cùm igitur ante tot secula eo iure fuerit, & hodiè permaneat, nec etiam de tempore intermedio diuersum quid habeatur compertum; consequens sane est, nec Treuerenses olim quoquam alio intuitu, quàm titulari ac Cardinalitio iure, Ecclesiam illam SS. Quatuor Coronatorum possediſſe. Atque hoc præsuppositio nil supereſt obstaculi, quare de Colonienſium Archi-Episcoporum Cardinalatu magis, quàm Treuericorum dubitare debeamus.

De Legatis Natis.

Pag. 196, lin. vlt. Quæ hoc loco de Legatis de Latere dicta sunt, propriè de illis, quos *Legatos Natos* vocant, intellecta volui. Illi licèt his potiores sint, est tamen horum quoque super Archi-Episcopos Legationis suæ iurisdictio, nisi speciali Apostolico priuilegio eximantur, quale Treuerensi Brunoni concessum esse à Calixto II Papâ refert Kyriander parte xi.

De Salisb. & Brem. Archi-Episcopis.

Pag. 197, lin. 2. Quæ hîc dicuntur de temporis antiquitate, non de ipsâ Archi-Episcopali dignitate, sed pro subiecta mareriâ de Primatu Bremensis & Legatione Salisburgensis Archi-Episcoporum intellige. Ille sub Othone I, vnà cum Archi-Episcopatu cœpit; hæc sub Henrico IV: Salisburgensis autem Metropolis à Caroli Magni æuo originem suam repetit, in cuius testamento inter Archi-Episcopales Sedes octauo loco ponitur.

Pœnitentiaria Rom. expeditiones.

Pag. 201, lin. 19. Cameræ & Secretariæ tertia addenda est Pœnitentiaria Apostolica; quæ & ipsa negotiorum suorum ad conscientiæ præcipuè forum pertinentium expeditionem obtinet.

Cardinales Presbyteri Eccl Treuer.

Pag. 205, lin. 10 à fine. Eiusmodi Presbyteros Cardinales Treuerensis etiam Archi-Episcopus Ecclesiæ suæ pro se & successoribus suis obtinuit à Victore II; cuius Diploma Kyriander refert parte XI.

Lambertus Episc. Spirensis.

Pag. 94. Hic Lambertus Episcopus, Aistetensi & Lithomislenfi, quos per temporis ignorantiam illi post posuimus, videtur postponi oportere. Anno enim 1370, (sequenti Spirensem Ecclesiam ad Argentoratensem translatus reliquit) Cancellarius fuisse reperitur in literis Carolinis Monasterio Monialium in Steinheim datis (extant inter Wirtenbergicorum Cœnobiorum Monumenta an. 1636. Tubingæ impressa) quarum subscriptio est *Per Dominum Spirensem Episcopum Henricus de Elbingo.*

Henricus Elbingẽsis.

Nicolaus de Chirmsir.

Pag. 96. Eidem Carolo ad an. 1360. Nicolaus de Chirmsir à recognitionibus apparuit, cuius memoria est *in Documentis VVirtenbergicorum Monasteriorum*, inter quæ Mundiburdium, vt olim vocarunt, siue Protectorium Cœnobio Wilerano datum ita subnotatur *Per Dominum Cancellar. Nicolaus Chirmsir.*

Ioan Rot, siue Rhoda.

Pag. 103. Vix dubito hũc Ioan. Rot eundem esse ad quem extat Æneæ Syluij, Senensis eo tempore Cardinalis, Epistola, in ordine 212, qui Rhodam vocat. Videtur is tunc (an. 1457) Ladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis Secretarius fuisse, quo illo ipso anno in medio nuptiarum apparatu per medicati poculi propinationem sublato in Imperatoris deinceps familiam receptus videtur.

Vlricus Episc. Gurcensis.

Ibidem. Reliquis Friderici recognitoribus poterit etiam Vlricus Sonnenbergius addi, cuius subscriptio habetur inter memorata documenta Wittenbergica hoc tenore. *Ad mandatum Domini Regis* (Friderici) *Magistro Vlrico Sonnenberger referente.* Fuit Vlricus iste Consiliarius Imperatoris, cuius multis Epistolarum suarum locis Æneas Syluius amicè meminit. Eiusdem ad illum familiaria extant eodem in Opere scripta, in ordine Epist. 240, 261, 300, 316. Nec enim hic ab Episcopo eius temporis Gurcensi Vlrici prænomine alius est, cuius Ecclesiæ regimen, postquam Patauiensis ambitæ spe excidisset, postmodum assecutus est.

Balthasar Merkelius.

Pag. 107, pr. Vnicum in præsens Diploma conspexi huius Balthasaris subscriptionem præferens datum an. 1530, Augustæ Comitiorum tempore, quo Prædicatorij Ordinis Priuilegiorum confirmatio & protectorium continetur. Subscriptio illa, hæc est: V. *Weltkirch.* Puto autem Typographi vel descriptoris mendũesse pro *Waltkirch.* Extat inter documenta Monasteriorũ Wirtebergicorũ, *p. 468.* Mercklin cognominatur à Cuspiniano *in Diario.*

Durandi Leod. Episc. Epist. cõtra Berengar.

Pag. 227, à fine. Durandi Episcopi Leod. contra Berengarium Epistola ad Henricum Francorum Regem, refertur à Chapiauillio Tomo 1 rerum

Leo-

Leodiensium *pag. 261*, prætermissis tamen SS. Patrum & Conciliorum pro veritate Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ sacratissimo Sacramento, quibus ille vsus fuerat, testimonijs. Posseuinus *in Apparatu* hunc cum Meldensi Episcopo & sacri Palatij Magistro Durando de S. Portiano Ord. Prædicatorum Theologo confundit.

Salomon Episcopus Constant.

Pag. 20, fine. Salomonem Constantiensem Episcopum eius nominis tertium in Grimaldi locum Archi-Capellanum esse promotum Eckehardus Minimus Scriptor vitæ Notkeri Balbuli Auctor est; sed potior videtur Eckehardi iunioris dicti *in Casibus Monasterij sui* fides, qui iuuante Grimaldo, non nisi Capellanum factum esse scribit. Fortè tamen tempora distinguenda, & relati auctores ita conciliandi sint, vt posterior hic de primâ in regium ministerium receptione, alter de subsecuta vlteriori post annorũ aliquot intercapedinem promotione intelligendi sint. Verùm obstat isti Conciliationi quod expressè dicit prædictus vitæ Notgeri Scriptor Ludouici Regis, is Pij Imp. filius fuit, Archi-Capellanum esse creatum. Constat autem ex *pag. seq.* allegata Salisb. Metropoli sub Ludouico III Imp. Senioris Ludouici pronepote Salomonem adhuc Cancellarium fuisse, nec verisimile est, si iam tunc sub proauo Archi-Capellanus fuisset, sub hoc iterum ad inferiorem aulicæ militiæ gradum descendere sustinuisse. Quæ autem de Ludouico Secundo scribit Bruschius, non de eius nominis Imperatore, sed dicto Germaniæ Rege Pij Ludouici Imp. filio intelligenda sunt. Quatuor Imperatores, quibus post illum seruij esse ab eodem narratur, fuerunt Carolus Crassus, Arnolphus, Ludouicus III & Conradus I, mortuus enim fuit post Christum 919, eo ipso quo & Imp. Conradus anno.

S. Anno Colonienſ. Archi-Epiſcopus.

Pag. 203, fine. Sub hoc capite de S. Annone me dicturum *pag. 129* promisi, parùm pollicitorum memor, quare strictim hic vel alieno loco eius meminisse iuuabit. Vitam eius scripsit Anonymus Religiosus Benedictinæ apud Sigebergenses familiæ, qui ingenuis tantum parentibus natum, (licèt alij Comitiuæ prosapiæ è Sonnenbergicâ Sueuiæ Dynastarum familiâ fuisse tradiderint,) & secundum seculi dignitatem, non adeò celebribus scribit. Idem Auctor de studio eius in Bambergensi celeberrimâ tum omnium inter Germanicas Scholâ deq; Scholastici obito ibidẽ officio, de aulicâ inter Clericos Palatij militiâ, de Colonienſi Legatione, & subsecuta statim eiusdem Ecclesiæ inthronisatione, digneque administrato Episcopalis curæ munere pluribus commemorat; nec reticet fundationes ab illo factas trium Canonici instituti Collegiorum, totidemque nigri Ordinis, qui eo tempore vnus etiamdum in Ecclesiâ Occidentali florebat Monasteriorum. Inter illa loci amœnitate & ditissimorum prouentuum abundantia Sigeberga longè eminet,

quam etiam frequentiori, dum inter viuos adhuc ageret, incolatu celebriorem factam, sacris ossibus suis post mortem longè sacratiorem fecit. Quâ vixerit in aulâ Principum nostrorum gratia, auctoritate, potentiâ longum sit recensere: nam vt Henrici Nigri tempora præteream, quarti Henrici filij eius nutritius & excultor, Imperijque sub illo, vt suprà quoque dicebam, multis annis dignissimus Rector & Administrator fuit. Nec minuit Sanctissimi viri existimationem, sed potiùs gloriam eius auget, quod alternantibus temporum vicibus apud patrem pariter ac filium modo flagranti gratiâ floruerit, modo æmulorum liuore præualente amore eorum exciderit. Hoc enim commune ferè illorum fatum est, qui constantia inculpatæ vitæ & Iustitiæ intemeratæ cultu intrepido, sinceræ denique conscientiæ libertate, se non minùs superioribus, quam æqualibus conspicuos & notabiles fecerunt. Acerrimus fuit Ecclesiasticæ libertatis, nec minus Apostolicæ Sedis, pro quâ contra Imperatorem infractâ & inflexibili peruicaciâ semper stetit, propugnator & vindex. Obijt non 1064, vt Mersæus, sed vt è vetustis Baronius ait 1075. anno vigesimo primo præsulatus sui, & post mortis annum octauum & centesimum per Petrum Lunensem Episcopum & Cardinalem, Apostolicum de Latere Legatum, ossa eius leuata, seu, vt Mersæus vocat, translata fuerunt, nec reperio quid aliud de Canonizationis solemnibus.

Grimaldus S. Galli Abbas.

Pag.222, lin.12. Si ab autographis & archetypis per vitiosam descriptionem non aberrant, quæ è Ludouici Regis literis Grimaldi & Brunoldi nomina referuntur, non est quod dubitemus, duos diuersos fuisse. Ac vt maximè id deinceps dubio non careat, illud tamen certum habeo, Grimaldum, hunc fuisse S. Galli Abbatem in ordine nonum. Hunc non Ratpertus tantũ in Casibus Monasterij sui cap. 8, *sæpius regalibus fuisse occupatũ negotijs* scribit, sed disertis verbis Eckehardus *in vitâ Notkeri Balbuli cap.14*, Archi-Capellanum vocat; non tamen, vt is refert, Ludouici Pij Imp. sed homonymi filij eius Germaniæ Regis, qui itidem Pij cognomen meruit, vti legere est in *Hepidanni Annalibus* ad an. 876. De Archi-Capellanatu huius Abbatis etiam Eckehardus iunior testatur casuum suorum cap. 1, vterque *Canonicum Abbatem* vocat, eò quòd habitu & professione Monachus non esset, sed in Clericali statu persisteret. Huic Grimaldo an. 872. Brunoldus successisse potuerit, qui an. 875. Argentinensibus præesse cœpit, obijtque an. 883. quem licet Guilimanus itidem fuisse dictum Grimaldum tradat, Bruschius tamen in nomine variat, nec Brunaldum reticet, cuius nomen, verisimile crediderim cum Synchroni Abbatis haud multum abludente, confundi cœpisse.

IN-